MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80601-3

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR: KRAUSE, AUGUST

TITLE: DE FONTIBUS DE AUCTORITATE....

PLACE: [NEUSTETTIN]

DATE: [1857-74]

Master Negative #

92-80601-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87Sor7
DZ6

Krause, August,
De fontibus et auctoritate Scriptorum historiae Augustae... scripsit Augustus Krause. [Neustettin, Keilich, 1857-74]
2 pts. in 1 v. 25 cm.

On cover: Programm des Fürstlich Hedwigsschen Gymnasiums zu Neustettin...

171345

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35MM REDUCTION RATIO: 12X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/20/92 INITIALS BJ
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 4 8 Z Scr 7
DZG
135.

Programm

des

Fürstlich Hedwigschen Gymnasiums zu Neustettin,

womit zu der

öffentlichen Prüfung und Schlußfeierlichkeit,

welche

den 6. 7. 8. April

veranstaltet werden soll,

ehrerbietigst einladet

Dr. Friedrich Röder,
Director.

Inhalt:

1. Philologische Abhandlung des Oberlehrers A. Krause.
2. Bericht des Directors über das Schuljahr $18\frac{56}{57}$.

Neustettin 1857.
Gedruckt bei F. E. Keilich.

Sources

Teuffel 916. 3.

DE FONTIBUS ET AUCTORITATE SCRIPTORUM HISTORIAE AUGUSTAE.

PARS I.

SCRIPSIT AUGUSTUS KRAUSE.

PROOEMIUM.

Ut corpora lente augescunt, cito exstinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris. Tacit. Agric. c. 3.

Ex magno scriptorum numero, qui Suetonii exemplo imperatorum Romanorum vitas composuerunt, pauci tantum ad nostram aetatem pervenerunt. Numerantur vulgo sex: Aelius Spartianus, Vulcatius Gallicanus, Aelius Lampridius, Julius Capitolinus, Trebellius Pollio, Flavius Vopiscus; utrum sex an pauciores scriptores putandi sint, inter viros doctos magna est lis et controversia. [1]) Sed quot fuerint scriptores et

[1]) De Trebellio Pollione et Flavio Vopisco res non est dubia. Vita Avidii Cassii, quae Vulcatii Gallicani nomine circumfertur, in antiquis horum librorum excerptis Palatinis tribuitur Spartiano. Salmasius omnium imperatorum vitas usque ad Alexandrum Severum ab uno scriptore Aelio Spartiano Lampridio profectas esse opinatur, alii aliter censent, ex quibus nominasse sufficiat Dodwellum (Praelectt. Cambdenian. init. a. 1692) et Heynium (Censura sex scriptt. hist. Aug. in Opusc. Academ. Gotting. a. 1803 vol. VI), Car. Timoth. Zumptium in annalibus vet. regn. et pop. pag. XVIII. Ludovicus Wiese in commentatione de vitarum scriptoribus Romanis (quae praemissa est annalibus gymnas. Joachim. Berol. a. 1840) p. 36 assentiri videtur Salmasio. Ex libro Bährii (Gesch. d. Röm. Litt. edit. III. tom. II. p. 178) cognovi, Christium nescio quem (Noctt. Acadd. p. 9) suspicari, omnes Caesarum vitas ab uno auctore compositas esse. Julius Capitolinus duorum Maximinorum, patris ac filii, trium

quibus singulae vitae tribuendae videantur, quum difficilis quaestio sit et a consilio nostro abhorreat: data occasione velut in transitu pauca quaedam, quae ad rem faciant, monebimus. Gravissimos autem esse hos scriptores ad imperatorum res cognoscendas, quis est, quem fugiat? Supersunt enim vitae omnium paene imperatorum inde ab Hadriano usque ad Carum ejusque filios (a. 117—285) [2]), nisi quod perierunt vitae Trebellianae Philipporum, Decii, Galli, Volusiani, Aemiliani (a. 243—253), et pars quaedam Valerianorum. Ex magna autem scriptorum copia, qui vixerunt inde ab excessu Antonini philosophi usque ad imperium Diocletiani (a. 180—284) hodie ne unus quidem superest, quod quum temporum injuriae tribuendum est, tum scriptoribus ipsis, qui superiorum scriptorum gloriam non aequarent. Nominantur autem a scriptoribus historiae Augustae auctores fere quinquaginta, quorum pauci admodum sunt Graeci. Ex Graecis auctoribus testes prae ceteris afferuntur Herodianus, et quorum scripta perierunt, Dexippus et Arrianus; sed miror, nusquam prorsus nominari Dionem Cassium. Is cum Alexandro Severo, Mammeae filio, consul iterum fuit a. p. Chr. n. 229, et historiam suam usque ad hunc annum deduxit, rebusque interfuit, quae gestae sunt sub Commodo, Pertinace, Juliano, Septimio Severo, Caracalla, Macrino, Heliogabalo, Alexandro Severo. Cf. Dio Cassius lib. 72 cap. 23. Sed ut redeamus ad historicos illos Latinos, qui ab historiae Augustae scriptoribus laudantur, dubitare non possumus, quin multo plures historici exstiterint, quam qui nominantur; multi enim semel tantum et tanquam in transitu commemorantur, alii etiam imperatorum vitas, in quibus testes non exhibentur, scripsisse traduntur. Omnes autem, qui auctores citantur, eadem ratione, qua hi ipsi qui supersunt scriptores historiae Augustae, scripsisse, quum ex temporum indole conjici potest, tum dilucide testatur Vopiscus, ex omnibus, qui Caesarum vitas descripserunt, palmam deferens Suetonio [3]). Fidem Julii Capitolini et Aelii Lampridii laudat Vopisc. in Prob. c. 2, ubi nec Vulcatii, nec Spartiani, cujus nomine multae vitae feruntur, ulla fit mentio [4]). Sed quum scriptores historiae Augustae gravissimi sint fontes ad historiam imperatorum Romanorum cognoscendam, non inutilis videtur labor, de eorum fontibus disputare [5]): etenim et hi ipsi et eorum auctores bene meriti sunt de nobis, quoniam iis potissimum debemus, quod temporum illorum historiam non plane ignoramus [6]).

Gordianorum, et Maximi et Balbini vitas scripsit, dicavitque Constantino (cf. Maximini duo c. 1 init. Gordian. c. 34). Vitae Pertinacis et Albini et Macrini a nonnullis Capitolino derogantur et adscribuntur Spartiano. At vita Albini scripta est ad Constantinum (Albin. c. 4), contra Macrini vita ad Diocletianum (cf. Macrin. c. 15 extr.) Addamus de ceteris vitis, de quibus constat. Antoninus philosophus missus est ad Diocletianum (c. 19 sub fin.), ad eundem Verus (c. 11 extr.), Avidius Cassius (c. 3) qui Vulcatii Gallicani nomen in fronte habet, deinde Septimius Severus (c. 20 extr.), Pescennius Niger (c. 9), Opilius Macrinus (c. 15 extr.); ad Constantinum vero missus est Clodius Albinus (c. 4), Antoninus Geta (c. 1), Heliogabalus (c. 2 extr. et c. 33), Alexander Severus (c. 64 et 66), Maximini duo (c. 1 init.), Gordiani tres (c. 34).

2) Perierunt vitae Nervae et Trajani. Nota sunt verba Taciti Histor. I, 1: *quodsi vita suppeditet, Principum D. Nervae et imperium Trajani .... senectuti seposui.* Spartianus omnium Caesarum vitas scripserat inde a Julio Caesare dictatore usque ad Hadrianum; cf. in Aelio Vero c. 1 et 7. Idem consilium habuit Vulcatius Gallicanus: cf. Avid. Cass. c. 3. Etiam Capitolinum et Lampridium a Julio Caesare orsos esse, contendit Casaubonus in praefat., nitens loco Vopisci in Probo c. 2. Lampridio teste in Alex. Sever. c. 47 Trajani vitam descripserant Marius Maximus, Fabius Marcellinus, Aurelius Verus, Statius Valens. Etiam Junius Cordus Trajani vitam videtur composuisse: cf. vita Macrini c. 1. Ammianus Marcellinus, qui vixit post scriptores historiae Augustae, historiam a principatu Nervae exorsus est; sed priores tredecim libros constat perisse.

3) Vopiscus in Firmo c. 1 Suetonium Tranquillum appellat emendatissimum et candidissimum scriptorem. Scriptores historiae Augustae res sine ulla arte consignarunt vel potius consarcinarunt. Multa non suo loco narrata aut sine caussa repetita invenies; alibi judicium desideres limatius, alibi diligentiam exquisitiorem. Sed de scribendi genere lectores amandamus ad praefationem Casauboni. Hoc unum addamus, quod de neglecto dicendi genere fatetur Trebellius Pollio in trig. tyran. c. 11: — *qui id, quod ad eloquentiam pertinet, nihil curo. Rem enim vobis proposui deferre, non verba;* et c. 33: *da nunc cuivis libellum, non tam diserte, quam fideliter scriptum. Neque ego eloquentiam videor pollicitus esse, sed rem.*

4) Vopiscus in Probo c. 2: *Et mihi quidem id animi fuit, non ut Sallustios, Livios, Tacitos, Trogos atque omnes disertissimos imitarer viros in vita principum et temporibus disserendis, sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargillium Martialem, Julium Capitolinum, Aelium Lampridium, ceterosque qui haec et talia non tam diserte quam vere memoriae tradiderunt.* De fide scriptorum nostrorum ita Casaubonus in praefatione: *Quid? tot principum pulcherrimas epistolas, tot gravissima senatusconsulta, tot alia publica monumenta, e scriniis Augustorum, actis senatus et populi, aut nescio unde ex abdito eruta, quanti censemus facienda? aut quem mihi dabis ex omni veterum auctorum numero, cui propter similem vel fidem vel diligentiam tantum debeamus?*

5) Cic. de orat. II, 27: *Tardi ingenii est, rivulos consectari, fontes rerum non videre.*

6) Usus sum editione Schmidiana (Lips. a. 1774) cum praefatione Püttmanni, quae solum textum, quem vocant, exhibet; continet tamen Henr. Dodwelli de his scriptoribus sententiam, quae legitur initio Praelectt. ejus Cambdenian. Salmasii editionem ante oculos non habui nec opuscula Heynii, nec librum H. E. Dirksenii: Die scriptores historiae Augustae. Andeutungen zur Texteskritik und Auslegung derselben. Leipzig 1842.

Cap. 1. HADRIANUS.

Non solum libera re publica nobilissimi viri res gestas suas descripserunt P. Rutilius Rufus, M. Aemilius Scaurus, Q. Lutatius Catulus, L. Cornelius Sulla, M. Terentius Varro, sed etiam ex imperatorum numero haud pauci traduntur suas res ipsi memoriae prodidisse: C. Julius Caesar, Augustus, Tiberius, Claudius, Trajanus [1], Hadrianus, Septimius Severus. Ac de *Hadriano* quidem testis est Spartianus cap. 15: *Famae celebris Hadrianus tam cupidus fuit, ut libros vitae suae scriptos a se, libertis suis litteratis dederit, jubens, ut eos suis nominibus publicarent: nam Phlegontis libri Hadriani esse dicuntur.* Ad hos libros de vita sua Spartianus bis diserte provocat c. 1 et c. 7, priore quidem loco de origine imperatoris disputans *(in libris vitae suae Hadrianus ipse commemorat)*, posteriore c. 7 enarrans, quattuor consulares viros, Palmam, Celsum, Nigrinum, Lusiumque senatu jubente, invito Hadriano *(ut ipse in vita sua dicit)* occisos esse [2]. Eandem Hadriani vitam, nisi fallor, Spartianus significat c. 3 his verbis: *ad bellum Dacicum Trajanum familiarius prosecutus est: quandoquidem et indulsisse vino se* d i c i t, *Trajani moribus obsequentem, atque ob hoc se a Trajano locupletissime muneratum.* Etiam quae deinceps sequuntur verba, procul dubio videntur ad hanc vitam referenda esse: *Tribunus plebis factus est Candido et Quadrato iterum consulibus, in quo magistratu ad perpetuam tribunitiam potestatem omen sibi factum* a s s e r i t, *quod penulas amiserit, quibus uti tribuni plebis pluriae tempore sole-*

1) Trajanus Dacica Latine scripsit, ex quorum primo aliquid affert Priscianus lib. VI. Cf. Vossius de histor. Latin. pag. 162. Puto, fuisse commentarios rerum ab ipso contra Dacos feliciter gestarum, Julii Caesaris commentariorum admodum similes.

2) Possit fortasse aliquis dubitare, num Phlegontis libri, qui c. 15 commemorantur, iidem sint, ad quos Spartianus provocat c. 1 et c. 7. Cap. 1 et 7 Hadrianus ipse libros de vita sua scripsisse dicitur, nec ulla fit mentio libertorum litteratorum. Cap. 15 Spartianus narrat, Hadrianum libros vitae suae, a se ipso scriptos, libertis suis litteratis dedisse, ut eos suis nominibus publicarent, pergitque: *nam Phlegontis libri Hadriani esse dicuntur*, unum tantum libertum nominans. Hadriano ipsi hos libros tribuit Dio sive Xiphilinus lib. 69 c. 11: *παιδικά τε αὐτοῦ ἐγεγόνει, καὶ ἐν τῇ Αἰγύπτῳ ἐτελεύτησεν* (Antinous)· *εἴτ' οὖν εἰς τὸν Νεῖλον ἐκπεσών, ὡς Ἁδριανὸς γράφει, εἴτε καὶ ἱερουργηθείς, ὡς ἡ ἀλήθεια ἔχει.* Ceterum ille Phlegon Trallianus, Hadriani libertus, Suida teste, multa scripsit, imprimis etiam opus Olympiadum sive Chronicorum, quod continebat olympiades 229, quarum ultima desiit in quartum Antonini Pii annum. Cf. Voss. de hist. Graec. p. 218. Suidas ita: *Φλέγων, Τραλλιανός, ἀπελεύθερος τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος. Οἱ δὲ Ἀδριανοῦ φασιν. ἱστορικός. ἔγραψεν Ὀλυμπιάδας ἐν βιβλίοις ις'. ἔστι δὲ μέχρι τῆς σκθ' Ὀλυμπιάδος τὰ πραχθέντα πανταχοῦ. τὰ δὲ αὐτὰ ἐν βιβλίοις ή* cet.

bant, imperatores autem nunquam. Paulo aliter comparatus est locus c. 7, nec pro certo affirmari potest, num sit ex vita Hadriani depromptus: *omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit, exemplo,* u t d i c e b a t, [3] *Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiavit, quia teneri non poterant.* Utro sermone Hadrianus libros de vita sua scripserit, prorsus incertum videtur. Vossius de histor. Graec. p. 214 nullo addito testimonio Hadrianum inter Graecos historicos recenset, ac fuerunt (Bernhardy Griech. Liter. I, 412), qui ex verbis c. 15, quae supra transscripsimus, Graece eos compositos fuisse suspicarentur. At quod Phlegon libertus litteratus hos libros edidisse dicitur, nullo modo inde consequitur, eos Graece scriptos fuisse. Nam etiam Sulla libros de vita sua Latine scripsit [4], et Epicadus, Sullae libertus, librum, quem Sulla novissimum de rebus suis imperfectum reliquerat, ipse supplevit. Quanquam ex Hadriani vita constat, imperatorem hunc quum Latinarum tum Graecarum litterarum peritissimum fuisse [5]. Porro Hadrianus *Catacrianos* libros obscurissimos, Antimachum imitando scripsisse traditur cap. 15, deinde etiam c. 13 de suis dilectis multa *versibus* composuisse, amatoria carmina scripsisse, tum c. 14 Heliodorum philosophum (cf. c. 15 sub fin.) *famosissimis litteris* lacessivisse et cum ipsis professoribus et philosophis, *libris vel carminibus invicem editis*, saepe certavisse perhibetur [6]. *Flori poetae* versiculos ad

3) Lampridius in Alex. Sev. c. 16: *Referebat Encolpius* (tempore imperfecto), et deinceps: *addit Septimius.*

4) Sullam Graece scripsisse, falso contendit Heerenius de fontibus Plutarchi p. 151. Sed hunc virum commentationem suam negligentius ac festinantius scripsisse, et ipse quondam statueram et nunc alios censere video. Cf. quae disserui in libello de fontibus Suetonii pag. 23 et 24.

5) Spart. in Hadrian. c. 1 extr. *imbutusque* (puer admodum) *impensius Graecis studiis, ingenio ejus sic ad ea declinante, ut a nonnullis Graeculus diceretur.* Cap. 3 init. *usque ad summam peritiam et facundiam Latinis operam dedit.* Cf. c. 13. 14. 15. 19. Eutrop. VIII, 7: *facundissimus Latino sermone, Graeco eruditissimus fuit.* Cf. verba Suidae in annotat. seq.

6) Suidas: *Ἀδριανός. βασιλεὺς Ῥωμαίων . . . . φύσει δὲ φιλόλογος ἦν ἐν ἑκατέρᾳ τῇ γλώσσῃ, καί τινα πεζὰ καὶ ἐν ἔπεσι ποιήματα παντοδαπὰ κατέλιπε.* Plane eadem refert Dio in Xiphilini epitome lib. LXIX c. 3. Cf. Voss. de hist. Graec. p. 214. Suidae Vossius non meminit. — Addere liceat verba, quae leguntur in Hadrian. c. 13: *Graeci quidem volente Hadriano eum* (Antinoum) *consecraverunt, oracula per eum dari asserentes:* q u a e H a d r i a n u s i p s e c o m p o s u i s s e j a c t a t u r. Jucunda est narratiuncula, quam legimus cap. 15 extr. Nimirum quum verbum quoddam Favorini ab Hadriano reprehensum esset atque ille cessisset, arguentibus amicis, quod male cederet Hadriano, Favorinus: Non recte, inquit, suadetis, familiares, qui non patimini, me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.

Hadrianum scriptos et Hadriani, quibus Floro rescripsit, c. 15 ad verbum refert. Cap. 3 extr. principis *orationum* fit mentio, quas pro imperatore Trajano dictaverat [7]). Hujusmodi Hadriani scripta, litteras, versus et id genus alia Spartianum ipsum legisse, si non certum at verisimile est; saltem c. 23 allatis versibus, quos Hadrianus moriens fecisse dicebatur, adjicit c. 24 init: *tales autem nec multo meliores fecit et Graecos,* unde talia Spartiani tempore superfuisse credibile est. Praeter Hadrianum ipsum in hac vita quater testis nominatur *Marius Maximus,* quo nemo frequentius auctor laudatur a Spartiano, Lampridio, Vulcatio Gallicano, Julio Capitolino. Citatur autem locis fere triginta, et ubique fere ita citatur, ut scriptores multum ei tribuere videantur. A Trebellio Pollione et Flavio Vopisco auctor non affertur. Videtur perscripsisse omnium imperatorum vitas inde a Trajano (cf. Alexandri Severi vita c. 47) usque ad Alexandrum Severum (Alex. Sev. c. 5), hoc est inde ab a. 98 usque ad a. 235, quanquam non diserte testis nominatur in vitis Didii Juliani, Pescennii Nigri, Antonini Caracalli, Opilii Macrini, Antonini Diadumeni. Ceterum Mar. Maximum vitas Avidii (Cassii), Albini ac Nigri, qui imperium affectarunt, imperatores non fuerunt, non peculiaribus libris descripsisse, sed eorum facta in aliorum Caesarum vitis perstrinxisse, locupletissimum testem habemus Vopiscum in Firmo c. 1. Pari modo Getae vitam non peculiari libro exposuit, sed ejus vitam moresque in Septimio Severo narravit, cf. Geta c. 2. Videtur autem Marius Max. paulo post Alexandri Severi tempora vixisse, medio fere saeculo tertio; certe in eorum, qui secuti sunt, imperatorum vitis testis nusquam nominatur. Ex multitudine autem locorum, ubi Marius Maximus auctor affertur, eum Caesarum vitas et accuratissime et copiosissime vel potius verbosissime enarrasse apparet. Sufficiat hos locos citasse: in Avidii Cassii cap. 9: *si quis autem omnem hanc historiam scire desiderat, legat Marii Maximi secundum librum de vita Marci.* In Commodi cap. 18 Lampridius acclamationes senatus et sententiam senatus consulti de Mario Maximo se indidisse scribit, et ex Commodi c. 15 possumus conjicere, Marium Maximum actis urbis usum esse. In Pertinacis c. 15 Capitolinus lectores delegat ad Marium Maximum, qui longissimam epistolam vitae inseruerit. Idem Capitolinus in Antonin. philos. c. 25 provocat ad *orationem* a Mario Maximo inditam. Clod. Albin. c. 12: *quae qui diligentius scire velit, legat Marium Maximum de Latinis scriptoribus; de Graecis Herodianum, qui ad fidem pleraque dixerunt.* Antonin. Get. c. 2: *Marius Maximus . . . . satis copiose retulit.* Vopisc. in Firmo cap. 1: *Minusculos tyrannos scio pleros-*

[7]) Gellius lib. XVI cap. 13 meminit ejus orationis, quam Hadrianus de Halicensibus in senatu habuit, in qua multum disseruit de municipiis et coloniis.

que tacuisse, aut breviter praeterisse. Nam et Suetonius Tranquillus, emendatissimus et candidissimus scriptor, Antonium et Vindicem tacuit, contentus eo quod eos cursim perstrinxerat: et Marius Maximus, qui Avidium Marci temporibus, Albinum et Nigrum Severi, non suis propriis libris, sed alienis innexuit. Et de Suetonio non miramur, cui familiare fuit, amare brevitatem. Quid Marius Maximus, homo omnium verbosissimus, qui et mythistoricis se voluminibus implicavit, non ad istam descriptionem curamque descendit? Vopisc. in Probo c. 2: *Et mihi quidem id animi fuit, — ut — imitarer Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargilium Martialem, Julium Capitolinum, Aelium Lampridium ceterosque, qui haec et talia non tam diserte quam vere memoriae tradiderunt.* Ammian. Marcellin. rer. gestar. 28, 4: *Quidam detestantes ut venena doctrinas, Juvenalem et Marium Maximum curatiore studio legunt, nulla volumina praeter haec in profundo otio contrectantes; quam ob causam, non est judicioli nostri.* Sed ut revertamur, unde digressi sumus, Marius Maximus quatuor locis diserte testis nominatur c. 2, deinde c. 11, ubi rem, a Mario Maximo copiosius enarratam, breviter significat, tum c. 23, denique eum c. 19 producit, ubi ait, Hadrianum natura crudelem fuisse, ut dubitare non possimus, quin ea, quae de imperatoris crudelitate c. 22 leguntur, ex Mario Maximo maximam partem desumpta sint. Cap. 15 narratur, quam peritus Hadrianus fuerit matheseos. Auctorem ejus rei fuisse Marium Maximum patet, qui ejusdem rei auctor affertur in Aelio Vero c. 3 extr. — Breviter nominandus est hoc loco etiam *Apollonius Syrus Platonicus,* quem Spartianus responsum Nicephorii Jovis libris suis indidisse, cap. 2 commemorat. Hos igitur fontes Spartianus ipse nominat, sed etiam alios se habuisse et quidem multos, saepius significat [8]) et ita significat, ut accuratus et religiosus scriptor videri velit. Multi autem et Hadriani [9]) et ceterorum imperatorum [10]) vitas descripserunt et, nisi fallor, Fabius Marcellinus, (Vopisc. in Probo c. 2) Aurelius Verus, Statius Valens, qui a Lampridio in Alex. Sev. c. 47 Trajani vitae testes citantur, etiam Hadriani vitam litteris consignarunt.

[8]) Cf. c. 2. 4. 10. 12. 13. 15. 22. 23. 25.. Cap. 4: *et multi quidem dicunt . . . . . nec desunt, qui prodiderint;* c. 13: *de quo varia fama est: aliis asserentibus, aliis . . . . ;* c. 15: *ut multi asserunt.*

[9]) Spartian. in Ael. Vero c. 3: *Fertur denique ab his, qui Hadriani vitam diligentius in litteras retulerunt,* quibus verbis cum alios tum Marium Maximum videtur significare.

[10]) Spartianus in Aelio Vero extr: *Haec sunt, quae de Vero Caesare mandanda litteris fuerunt, de quo idcirco non tacui, quia mihi propositum fuit omnes qui post Caesarem dictatorem, hoc est divum Julium, vel Caesares vel Augusti vel principes appellati sunt, quique in adoptionem venerunt, vel imperatorum filii, aut parentes Caesarum nomine consecrati sunt, singulis libris exponere, meae satisfaciens conscientiae,*

Cap. 2. AELIUS VERUS.

In vita Aelii Veri Spartianus unum tantum auctorem *Marium Maximum* nominatim affert duobus his locis c. 3 et c. 5; sed pluribus fontibus se diligenter usum esse saepius significat [1]). Tum cap. 4 Aelii Veri orationem his verbis commemorat: *Quum de provincia Aelius redisset, atque orationem pulcherrimam, quae hodieque legitur, sive per se, sive per scriniorum aut dicendi magistros parasset, qua Kal. Januariis Adriano patri gratias ageret* cet. [2]) Praeterea nominandi sunt *fasti consulares*, ad quos ita provocat, ut eos legisse videatur [3]). Cap. 2 promittit vitam Lucii Aurelii Cejonii Commodi Veri Antonini, filii ejus, cujus vitam modo scribere orditur, sed non extat, et fortasse periit, ut perierunt Spartiani vitae Caesarum inde a Julio dictatore usque ad Trajanum. (Cf. Spartian. in Aelio Vero init. et extrem).

Cap. 3. ANTONINUS PIUS.

Ut in Aelio Vero Spartianus, ita in Antonino Pio Capitolinus, etsi interdum auctores significat [1]), tamen neminem appellat auctorem, nisi unum *Marium Maximum*

---

etiam si multis nulla sit necessitas talia requirendi. Idem consilium in hujus vitae prologo, ad Diocletianum Augustum scripto, exposuerat. Capitol. Gord. cap. 1: *Fuerat quidem consilium, venerabilis Auguste, ut singulos quosque imperatores exemplo multorum libris singulis ad tuam clementiam destinarem. Nam id multos fecisse vel ipse videram, vel lectione conceperam.* Treb. Poll. trig. tyrann. c. 1: *ab omnibus historicis, qui Graece ac Latine scripserunt, ita nonnulli praetereantur, ut eorum nec nomina frequententur; postremo quum tam varie a plerisque super his* (triginta tyrannis) *nonnulla sint prodita* cet.

1) Cap. 2: *alii — alii — multi prodiderunt.* Cap. 3: *Fertur denique ab his, qui Hadriani vitam diligentius in litteras retulerunt* cet., quo loco prae ceteris Mar. Maximus videtur intelligendus esse. Cap. 5: *ab iis, qui vitam ejus scripserunt.* Cap. 7: *per auctores plurimos intimata* (i. e. tradita) *sunt.* Nolumus transscribere locos, ubi ait hoc vel illud *dici, tradi, satis constare* c. 3. 4 ter, 5. 6 bis.

2) Cap. 5 Aelius Verus appellatur eruditus in litteris, eloquentiae celsioris, versu facilis; tum dicitur Ovidii libros amorum in lecto semper habuisse, Martialem epigrammaticum poetam Virgilium suum dixisse.

3) Cap. 5: *Ejus filius est Antoninus Verus, qui adoptatus est a Marco. Verus certe cum Marco aequale gessit imperium. Nam ipsi sunt, qui primi duo Augusti appellati sunt, et quorum fastis consularibus sic nomina praescribuntur, ut dicantur non tantum duo Antonini, sed duo Augusti: tantumque hujus rei et novitas et dignitas valuit, ut fasti consulares nonnulli ab his sumerent ordinem consulum.*

1) C. 4 bis et c. 12. Antonini Pii et Antonini philosophi vitas, quantum ex Opilio Macrino c. 1 perspicitur, consignavit etiam Cordus, de quo infra disseremus cap. 12.

cap. 11: *Orationes plerique alienas esse dixerunt, quae sub ejus nomine feruntur: Marius Maximus ejus proprias fuisse dicit,* unde Antonini Pii orationes etiam Capitolini tempore superfuisse perspicitur [2]). Ipse autem imperator c. 2 singularis eloquentiae ac nitidae litteraturae fuisse traditur. Cap. 12 dicitur omnium, quae gesserit, et in senatu et per *edicta* rationem reddidisse, sed utrum haec Capitolinus ipse legerit, an rem ex Marii Maximi aliorumque libris cognoverit, incertum est. Cap. 8 (et c. 1 sub fin.) enumerantur Antonini aedificia, quae extabant tempore Capitolini. Prodigia cap. 9 allata, fames, terrae motus, incendia, inundatio Tiberis, aliaque multa, si quid video, ex actis diurnis desumpta videntur, sive Capitolinus sive superiores scriptores adhibuerint, quanquam praeter Vopiscum (in Probo c. 2) et Lampridium (Alex. Sever. c. 55) nemo actorum Senatus et populi testimonium exhibet [3]).

Cap. 4. ANTONINUS PHILOSOPHUS.

Sequitur Capitolini Antoninus philosophus. Etiam in hac vita Capitolinus unum tantum auctorem exhibet *Marium Maximum* cap. 1, de origine imperatoris disputans, et cap. 25, quo loco remittit lectorem ad Marium Maximum, qui orationem, qua Antoninus apud amicos usus sit, libro suo inseruerit. Deinde interdum *Antonini epistolae* ita afferuntur, ut Capitolinus eas legisse videatur [1]). Tum instituta quaedam commemorat cap. 12 extr. et c. 13 med., quae usque ad suam aetatem manserant, et c. 18 ait: *denique hodieque in multis domibus M. Antonini statuae consistunt inter deos penates.* Non videtur praetereundum, Capitolinum c. 19 promittere vitam Commodi, quae tamen non superest; quae enim extat, est Lampridii. Ceterum se plures

---

2) Eutropius lib. VIII c. 8 Hadrianum dixit merito Numae Pompilio comparari, secutus fortasse Capitolinum c. 2 et c. 13 extr. Similiter Suidas: *Ἀντωνῖνος ὁ βασιλεὺς ἄριστος ἦν, καὶ μάλιστα Νουμᾷ κατὰ τὸ τῆς ἡγεμονίας ὁμοιότροπον ἄξιος παραβάλλεσθαι, καθάπερ δὴ Ῥωμύλῳ Τραϊανὸς ὤφθη παραπλήσιος.* Haud pauca tradidit Suidas, quae cum historiae Augustae scriptoribus accurate consentiunt, ut ex iis petita videantur.

3) Scribebantur acta urbis sub Commodo, iisque usus esse videtur Marius Maximus: cf. Lampridius in vita Commodi cap. 15. Plura de iis infra dicemus c. 18 in Alex. Sev.

1) Cap. 22: *vel litteris vel sermone respondebat.* Cap. 23: *sed haec omnia per epistolas suas purgavit.* C. 29: *de qua se multis epistolis purgat.* Extitisse imperatorum epistolas eo tempore, quo vixerint scriptores historiae Augustae videbimus in Vulcatii Gallicani Avidio Cassio. — Suida teste s. v. *Μάρκος* Antoninus philosophus scripsit *τοῦ ἰδίου βίου ἀγωγὴν ἐν βιβλίοις ιβ΄;* iidem sunt libri, quorum inscriptio *τὰ καθ' ἑαυτόν.* Cf. Voss. de hist. Graec. p. 226.

auctores habuisse, saepius indicat [2]), veluti illo loco, ubi multa (c. 24. 25. 26.) loquitur de Avidio Cassio rebellante c. 24: *ut quidam dicunt — alii dicunt.* Vulcatius Gallicanus autem, qui scripsit vitam Avidii Cassii, in Cassio auctores non solum Marium Maximum nominat, sed etiam *Quadratum* (cap. 1.) et *Aemilium Parthenianum* (c. 5.), ex quibus imprimis Aemilium Parthenianum Capitolinus adhibere potuit, quippe qui affectatores tyrannidis jam inde a veteribus historiae tradidisse dicatur. Nam quod spectat ad Mar. Max., hic Avidii Cassii vitam non peculiari libro exposuit, sed ejus facta explicavit in vita M. Antonini philosophi, ut diserte ait Vopisc. in Firmo c. 1 [3]).

Cap. 5. L. ANTONINUS VERUS.

M. Antoninum philosophum sequitur L. Antoninus Verus, et genere et affinitate cum illo conjunctus, qui novem annos (161 — 169) cum fratre imperavit. Itaque

[2]) C. 18: *ut plerique dicunt;* c. 19: *ajunt quidam, quod verisimile videtur — multi autem ferunt — satis constat — dixisse fertur;* c. 27. 28. 29. Quod c. 28 ipsa verba imperatoris morientis affert, ea desumpta dixerim ex Mario Maximo, quo nemo copiosius imperatorum vitas descripserat.

[3]) Non videtur a re alienum, hoc loco commemorare, ab Eutropio multas res vel eodem ordine vel etiam iisdem verbis tradi, quibus narravit Capitolinus. Ita Capitolinus c. 16: *Erat enim ipse tantae tranquillitatis, ut vultum nunquam mutaverit moerore vel gaudio, philosophiae deditus Stoicae* cet. Eutropius lib. VIII c. 11: *a principio vitae tranquillissimus, adeo ut in infantia quoque vultum nec ex gaudio nec ex moerore mutaret. Philosophiae deditus Stoicae* cet. — Capit. c. 17 init: *Ergo provincias post haec ingenti moderatione ac benignitate tractavit. Contra Germanos res feliciter gessit. Specialiter ipse bellum Marcomannicum, sed quantum nulla unquam memoria fuit.* Eutrop. VIII c. 12: *provincias ingenti benignitate et moderatione tractavit. Contra Germanos eo principe res feliciter gestae sunt. Bellum ipse unum gessit Marcomannicum, sed quantum nulla memoria fuit.* — Capitolin. c. 17 med: *vendiditque aurea pocula et crystallina et myrrhina, vasa etiam regia et vestem uxoriam sericam et auratam, gemmasque etiam . . . . et per duos quidem menses haec venditio celebrata est, tantumque auri redactum, ut* cet. Eutrop. VIII c. 13: *vasa aurea, pocula crystallina et myrrhina, uxoriam ac suam sericam et auream vestem, multa ornamenta gemmarum; ac per duos continuos menses ea venditio habita est, multumque auri redactum.* — Capitol. c. 17. extr: *Tunc viris claris permisit, ut eodem cultu quo et ipse, vel ministeriis similibus convivia exhiberent. In munere autem publico tam magnanimus* (nonne *magnificus?* sic etiam Eutropius) *fuit, ut centum leones una missione simul exhiberet sagittis interfectos.* Eutrop. c. 14: *hic permisit viris clarioribus, ut convivia eodem cultu, quo ipse, et ministris similibus exhiberent. In editione munerum post victoriam adeo magnificus fuit, ut centum simul leones exhibuisse tradatur.* — Dubitari nequit, quin his locis Eutropius Capitolinum secutus sit. Ceterum Eutropius nullo prorsus loco auctores suos nominavit; sed lib. X cap. 16 bello Parthis illato sub imperatore Juliano, se ipsum interfuisse scribit.

non est dubium, quin Capitolinus in hac vita conscribenda eosdem auctores secutus sit, quos habuit in vita Antonini philosophi. En ipse ad vitam, quam de imperatore illo composuerat, provocat cap. 2, cap. 9 bis, c. 10. Unum tantummodo scriptorem diserte nominat *Quadratum,* belli Parthici scriptorem, quo loco sermo est de bello, quod hi imperatores gesserunt contra Parthos cap. 8. Commemorantur Quadrati historiae etiam in Avidio Cassio init. Vixit autem Asinius Quadratus sub Philippis (a. u. 1000 sive p. Chr. n. 248) et praeter bellum Parthicum Ionica dialecto etiam Romanam historiam libris quindecim condidit; opus autem suum χιλιετηρίδα inscripsit, quia complecteretur annos mille. Nimirum historia scripta erat inde ab urbe condita usque ad annum millesimum, quo millenarius ἀγὼν a Philippis impp. maximo fuit apparatu celebratus [1]). Ceterum Capitolinus in hac vita plures auctores habuit, ut ipse indicat [2]); ipsius imperatoris litteras et orationes et versus num ipse legerit, non satis certum videtur [3]).

Cap. 6. AVIDIUS CASSIUS.

Vulcatius Gallicanus [1]) in Avidio Cassio trium scriptorum testimonia exhibet, Quadrati, Aemiliani Partheniani, Marii Maximi. *Quadratus,* cujus historiae c. 1 nominantur, ut superiore capite vidimus, erat scriptor belli Parthici. Deinde multa de Avidio Cassio narravit *Aemilius Parthenianus,* qui affectatores tyrannidis jam inde a

[1]) De Asinio Quadrato secutus sum Vossium de hist. Graecis p. 239. Citat Vossius Suidam s. v. *Κουάδρατος* eumque refellit, sed in editione Bernhardiana Quadrati nomen frustra quaesivi. Quadratum nobili genere ortum fuisse crediderim; certe Quadratus consul fuit (Hadrian. c. 3) a. post Chr. n. 105, sexaginta fere annis ante quam hoc bellum Parthicum gereretur. Etiam in Commodo c. 4 Quadratus homo nobilis commemoratur. — De ludis, quos Philippus Arabs fecit, quum millesimum ab urbe condita annum celebraret, vide Capitolinum in Gordian. c. 33.

[2]) C. 1: *Scio, plerosque ita vitam Marci ac Veri;* c. 2: *nec desunt, qui dicant;* c. 8: *quod quidem inter ceteros etiam Quadratus;* adde c. 4. 5. 7. 10. 11.

[3]) De litteris c. 6: *Circensium tantam curam habuit, ut frequenter provincialibus litteras causa circensium et miserit et acceperit.* De versibus et orationibus c. 2: *Amavit autem in pueritia versus facere, post orationes: et melior quidem orator fuisse dicitur, quam poeta, imo, ut verius dicam, pejor poeta quam rhetor. Nec desunt, qui dicant, eum fuisse adjutum ingenio amicorum, atque ab aliis ei illa ipsa qualiacunque sunt scripta.*

[1]) Gallican. in Cassio c. 3: *Proposui enim, Diocletiane Auguste, omnes, qui imperatorum nomen sive juste sive injuste habuerunt, in litteras mittere, ut omnes purpuratos Augustos cognosceres.* Gallicanus igitur, si ei recte haec vita tribuitur, idem consilium habuit, quod Spartianus: cf. Ael. Ver. init. et extr.

veteribus historiae tradidit, ut ipse ait Gallicanus cap. 5. Quo tempore hic scriptor vixerit, accurate dici nequit; vixit autem post Antoninum philosophum, sub quo fuit Avidius Cassius, et ante tempora Diocletiani, cui librum suum Gallicanus dicavit. Sed inter hunc Antoninum et Diocletianum saeculum interest. Tum testis citatur *Marius Maximus* in vita Marci Antonini philosophi c. 6 bis et c. 9 bis. Separatim enim Mar. Maximus Avidii Cassii vitam non exposuerat, sed facta ejus perstrinxerat in Antonino philosopho, ut testatur Vopisc. in Firm. c. 1. Gallicano teste [2]) Marius Maximus M. Antonini vitam duobus libris exposuit, quorum prior continuit res gestas utriusque imperatoris et Marci et Lucii; liber autem posterior comprehendit ea, quae solus Marcus, mortuo jam Lucio, egerat. Ceterum Avidius Cassius, qui L. Antonino mortuo contra Parthos bellum gessit, ac deinde rebellavit, commemoratur etiam a Capitolino in M. Antonino philos. c. 16, c. 24 — 26 et in Vero c. 7. Praeter hos rerum scriptores nonnullarum *epistolarum* exempla Gallicanus exhibet: transscripta est epistola Veri ad Marcum Antoninum c. 1; epistola Marci ad Verum c. 2; epistola divi Marci ad praefectum suum et responsio praefecti ad Marcum c. 5; epistolae Marci Antonini ad Faustinam uxorem c. 9 et 11; duae epistolae Faustinae ad Marcum c. 9 extr. et c. 10 init; oratio (i. e. epistola) Marci Antonini ad senatum c. 12; denique epistola Avidii Cassii ad generum suum c. 13. Omnes autem hae litterae ad verbum transscriptae sunt, lectuque jucundissimae. Auctores suos significat Gallicanus c. 1 et 7: *ut quidam dicunt . . . . alii autem dicunt,* unde eum plures etiam fontes habuisse manifestum est.

Cap. 7. COMMODUS.

Etsi non est dubium, quin Lampridius in describenda vita Commodi plures auctores [1]) secutus sit, uno tamen potissimum usus est duce, *Mario Maximo,* ex cujus libro etiam acclamationes senatus et sententiam senatusconsulti se transscripsisse dicit [2]). Lampridius enim ipse senatusconsulta et acta urbis, quae sub Commodo scribebantur,

[2]) C. 6: *ut idem Marius Maximus refert in eo libro, quem secundum de vita Marci Antonini edidit.* Cap. 9: *legat Marii Maximi secundum librum de vita Marci, in quo ille ea dicit, quae solum Marcus mortuo jam Vero egit.*

[1]) Significat auctores suos c. 5. 8. 11. 12.

[2]) Cap. 18: *Ut autem sciretur, quod judicium senatus de Commodo fuerit, ipsas acclamationes de Mario Maximo indidi, et sententiam senatusconsulti.* Praeterea citatur Marius Maximus cap. 13 et 15.

aut noluit, aut, quod libentius crediderim, non potuit consulere [3]); procul dubio autem Marius Maximus acta urbis adhibuit, ex iisque fortasse quum alia [4]) tum prodigia, quae cap. 16 enumerantur, desumpta sunt [5]). Denique breviter tangendum est, Lampridium c. 1 de Commodi parentibus provocare ad vitam, quam de M. Antonino philosopho descripserit [6]).

Cap. 8. PERTINAX.

In Pertinace Capitolinus multos quidem auctores se habuisse fatetur [1]), sed neminem nominat nisi *Marium Maximum,* quem dicit M. Antonini orationem de Pertinacis virtute et Pertinacis epistolam libris suis inseruisse [2]). Inde autem apparet, Capitolinum non haec scripta *αὐτόγραφα* legisse, sed cognovisse tantum ex libris Marii Maximi. Neque mihi dubium est, quin verba, quae cap. 7 ex senatusconsulto afferuntur, et signa interitus Pertinacis, quae enumerantur cap. 14, ex Marii Maximi scriptis retulerit [3]). Etiam Lampridius, si ei Commodi vita recte tribuitur, in Commodo

[3]) Cap. 15: *Habuit* (Commodus) *praeterea morem, ut omnia, quae turpiter, quae impure, quae crudeliter, quae gladiatorie, quae lenonice faceret, actis urbis indi juberet, ut Marii Maximi scripta testantur.*

[4]) Cap. 13: *(ut) in epistolis autem plurimis,* Vale, *tantum scriberet.* Lampridius non ipsas Commodi epistolas videtur legisse, sed rem ex Mario Maximo cognovisse. Contra Gallicanus, ut in Cassio vidimus, ipsas imperatorum epistolas legit.

[5]) Cap. 11: *Ludum semper ingressus est, et quoties ingrederetur, publicis monumentis indi jussit.* Acta urbis intelligenda esse verisimile est, si contuleris verba, quae leguntur cap. 15.

[6]) Quae extat vita de M. Antonino, habet nomen Capitolini, non Lampridii. Ceterum etiam Capitolinus in M. Antonino cap. 19 rem copiose tractavit. Addamus, quod in M. Antonin. c. 19 legitur: *qui* (Commodus) *mille prope pugnas publice populo inspectante gladiatorias imperator exhibuit, ut in vita ejus docebitur.* Lampridius vero in Commodo c. 11: *pugnasse autem dicitur septingenties tricies quinquies.*

[1]) C. 9: *multi in litteras retulere;* cap. 11: *multi sane dicunt.* Praeterea cf. cap. 1. 2. 4. 10. 13. 14.

[2]) Cap. 2: *Extat* (Marci imperatoris) *oratio apud Marium Maximum, laudes ejus* (Pertinacis) *continens, et omnia vel quae fecit vel quae perpessus est: et praeter illam orationem, quam longum fuerit connectere, saepissime Pertinax a Marco et in concione militari et in senatu laudatus est.* Cap. 15: *Horruisse autem illum* (Pertinacem) *imperium, epistola docet, quae vitae illius a Mario Maximo apposita est: quam ego inseri ob nimiam longitudinem nolui.* Jure igitur Vopiscus in Firmo c. 1 Marium Maximum appellavit *hominem omnium verbosissimum.*

[3]) Quod ait c. 15, Pertinacem ab ipso Severo funebri laudatione ornatum esse, tamen, si extitit oratio, non ipsam legit, sed cognovit ex Mario Maximo.

publica monumenta non ipse inspexit, sed Marii Maximi auctoritate nisus est; at mea quidem sententia et Commodi et Pertinacis vita unum atque eundem auctorem habet.

Cap. 9. DIDIUS JULIANUS.

Brevis admodum est vita Didii Juliani, et satis habuit Spartianus auctores significasse [1]). Sed quum in hac vita saepe mentio fiat Pertinacis (cap. 2. 3. 4.), Pescennii Nigri (c. 5), imprimisque Severi (c. 5. 6. 7. 8.), qui post Julianum imperium accepit: nihil est probabilius, quam Spartianum iisdem auctoribus usum esse, quorum testimonia in illorum imperatorum vitis exhibentur. Tangit breviter etiam *litteras Severi* (c. 7 et 8) et *senatusconsultum* ait (c. 6 extr.) esse factum de participatione imperii, sed haec omnia ex aliorum, imprimis Marii Maximi scriptis hausisse putandus est.

Cap. 10. SEPTIMIUS SEVERUS.

Julianum excipit Septimius Severus, Latinis Graecisque litteris eruditissimus (cap. 1, coll. c. 18 extr. et Eutrop. VIII, 19), M. Antonini si non aemulator, at certe cultor et admirator. Ex omnibus imperatoribus, quorum vitae a scriptoribus historiae Augustae litteris consignatae sunt, Hadrianus tantum et Septimius Severus vitarum suarum libros composuisse perhibentur. Ac de Severo quidem Spartianus ita cap. 3: *Uxorem tunc* (Severus) *Marciam duxit, de qua tacuit in historia vitae privatae.* Cap. 18: *Philosophiae ac dicendi studiis satis deditus, doctrinae quoque nimis cupidus, latronum ubique hostis, vitam suam privatam publicamque ipse composuit ad fidem, solum tamen vitium crudelitatis excusans.* Idem Spartianus in Pescennio Nigro c. 4: *In vita sua Severus dicit, se, priusquam filii sui id aetatis haberent, ut imperare possent, aegrotantem id in animo habuisse, ut, si quid forte sibi accidisset, Niger Pescennius et Clodius Albinus succederent, qui ambo Severo gravissimi hostes extiterunt.* Ibidem cap. 5: *Si Severo credimus, fuit gloriae cupidus Niger, vita fictus, moribus turpis, aetatis provectae quum imperium invasit: ex quo cupiditates ejus incusat, perinde quasi Severus minor ad imperium venerit, qui annos suos contrahit, quum decem et octo annis imperarit et octogesimo nono perierit.* Si Spartianus hoc loco de fide Severi dubitat, cogitandum est, Severum de Nigro, hoste suo gravissimo, scripsisse: nec vero Spartianus in Severo c. 18 fidem Severi in omnibus omnino rebus laudaverat, sed eum crudelitatis vitium

[1]) Cap. 3: *perhibetur;* c. 7: *sunt tamen, qui dicant.* Quod narrat cap. 2, Julianum a Pertinace semper collegam et successorem appellatum esse, eandem rem tradit Capitolinus in Pertinace cap. 14. Fortasse Juliani vita ab eodem auctore profecta est, a quo scriptae sunt vitae Commodi et Pertinacis.

excusasse addiderat [1]). Hanc vitam Severi citat etiam Capitolinus in Albino c. 7: *Ad imperium* (Albinus) *venit natu jam grandior, et major Pescennio Nigro, ut Severus ipse in vita sua testatur.* Ibidem c. 10 (quem locum omisit Vossius de hist. Lat. p. 174): *Et Severus quidem ipse haec de eodem* (Albino) *loquitur, ut eum dicat turpem, malitiosum, improbum, inhonestum, cupidum, luxuriosum. Sed haec belli tempore, vel post bellum, quando ei jam velut de hoste credi non poterat: quum et ipse ad eum quasi ad amicissimum frequentes miserit litteras, et multi de Albino bene senserint: et Severus ipse Caesarem suum eundem appellari voluerit: et quum de successore cogitaret, hunc primum habuerit ante oculos.* Ad hanc Severi vitam referenda etiam verba puto, quae item Vossius neglexit, quaeque leguntur in Albino c. 11: *Vini sane parcum* (Albinum) *fuisse dicit* (Cordus), *quod Severus negat, qui eum asserit ebrium etiam in bello fuisse. Cum suis etiam nunquam coenarit, vel propter vinolentiam, ut dicit Severus, vel propter morum acrimoniam.* Etiam Xiphilinus ex Dione lib. LXXV cap. 7, (quem locum attulit Voss. l. l.) ubi Severi cruentam de Albino victoriam refert, ait: *Λέγω γὰρ οὐχ ὅσα ὁ Σεβῆρος ἔγραψεν, ἀλλ' ὅσα ἀληθῶς ἐγένετο.* Denique Herodianus lib. II c. 9 § 4, ubi narrat, quae potissimum Severo spem fecerint imperii (cf. Sever. c. 1): *τὰ μὲν οὖν πολλὰ ἱστόρησεν αὐτός τε συγγράψας ἐν τῷ καθ' αὑτὸν βίῳ* [2]). Praeter ipsum imperatorem Severum testis citatur *Marius Maximus* c. 15, et quidem testis citatur contra ipsum Severum, qui, quum occisi essent nonnulli, se excusabat, et post eorum mortem negabat fieri se jussisse, quod factum est. Severum in vitae suae libris etiam crudelitatis vitium excusasse, Spartianus, ut paulo ante vidimus, dixit cap. 18. Tum commemoratur *Aemilius Maurus* cap. 20: *Legisse me apud Aemilium Maurum Phlegontis Tralliani libertum memini, Septimium Severum immoderatissime quum moreretur laetatum, quod duos Antoninos pari imperio rei publicae relinqueret.* Hunc igitur memoriter citat. Vixit autem Aemilius Maurus (Voss. de hist. Lat. p. 176) Severi et Caracalli temporibus, ac fuit libertus Phlegontis ejus, qui Hadriani fuit libertus. Utrum Graece an Latine scripserit, prorsus incertum est. Plures auctores Spartianus non nominat, etsi tangit c. 10. 11. 16. 21 22. 23. 24.; ceterum, quum in hac vita saepius

[1]) Vide quae dixi de fide eorum, qui vitas suas scripserunt, in Vit. et fragm. vet. hist. Rom., de Scauro p. 225, de Rutilio Rufo p. 229, de Sulla p. 290.

[2]) Utro sermone Septimius Severus scripserit, plane ignoramus, sed eum Latine scripsisse crediderim. Vossius Herodiani tantum verba citans, eum inter Graecos historicos refert de hist. Graec. lib. II p. 234. Idem locos aliquot Spartiani et Capitolini et Xiphilini verba afferens, neglecto loco Herodiani, Severum inter scriptores Latinos enumerat de hist. Lat. lib. II p. 174.

mentio fiat Pertinacis (c. 5. 9.), Juliani (c. 5. 7.), Pescennii Nigri (c. 5. 8. 9.), Clodii Albini (c. 10. 11.), Caracalli (c. 21), suspicari facile possumus de fontibus, quibus in componenda vita Severi usus sit. Opera publica, a Severo extructa, quae suo tempore extabant, Spartianus commemorat cap. 19 et 21. Senatusconsultum Julianus fecisse dicitur de participando imperio cum Severo c. 5 et Julian. cap. 6.

Cap. 11. PESCENNIUS NIGER.

Spartianus in Pescennio Nigro etsi pluribus auctoribus se usum esse fatetur [1]), tamen unum tantum nominatim affert, *Septimium Severum*, de quo capite superiore egimus, ad cujus vitam bis provocat, cap. 4 extr. et cap. 5 init. Deinde *epistolas* aliquas, quas extare dicit, ad verbum inseruit, *Septimii Severi* ad Rogonium Celsum Gallias regentem c. 3, *Marci Antonini* ad Cornelium Balbum c. 4, *Commodi* c. 4, quibus epistolis ostenditur, quantas virtutes Niger habuerit. Tum c. 12 domum Nigri etiamtum extare in campo Jovis dicit, et epigrammatis Graeci, quod illo tempore extabat, sententiam Latine exhibet Etiam quatuor oraculorum Delphici Apollinis sententiam Latine affert c. 8; item c. 9, quae vates praedixerant de morte Pescennii, additque, non abfuisse responsis veritatem. Ceterum quum in Pescennio Nigro frequens mentio fiat Commodi, Severi, Albini, Juliani (c. 1. 2. 3. 6. 8. 12.), ex hac re in fontes, quos adhibuerit, conjecturam facere possumus. Marius autem Maximus, quem constat Albini vitam non peculiari libro exposuisse (teste Vopisco in Firmo c. 1), ne Nigri quidem vitam peculiari libro enarrasse putandus est, sed in vitis eorum Caesarum, qui imperii clavum tenuerunt, etiam Pescennii Nigri videtur mentionem fecisse. Denique hoc loco non est praetereundum, Spartianum (si est auctor hujus vitae) majore diligentia at accuratione, quam in aliis vitis describendis, versatum esse. Id tum ex iis, quae modo disputavimus, intelligi potest, tum ex principio hujus vitae: *Rarum atque difficile est, ut, quos tyrannos aliorum victoria fecerit, bene mittantur in litteras: atque ideo vix omnia de his plene in monumentis atque annalibus habentur. Primum enim, quae magna sunt, in eorum honorem ab scriptoribus depravantur, deinde alia supprimuntur: postremo non magna diligentia in eorum genere ac vita requiritur, quum satis sit audaciam eorum et bellum, in quo victi fuerint, ac poenam proferre.* Similiter de difficultate ejusmodi principum vitas scribendi queritur c. 9, pergitque: *Ac ne quid ex*

[1]) Cap. 2: *ut quidam dicunt.* Cap. 6: *multi dicunt.* Cap. 9: *Haec sunt, Diocletiane maxime Augustorum, quae de Pescennio didicimus ex pluribus libris.* Ibidem: *quod quidam dicunt.* Cap. 12: *apud omnes constat.* Cf. cap. 1 et 3.

iis, quae ad Pescennium pertinent, praeterisse videamur (licet aliis libris cognosci possint), de hoc Pescennio vates dixerunt cet. Nec vero accurato et religioso scriptore indignus fuit Pescennius, vir tantis virtutibus insignis (c. 6 extr. et c. 11), et optimorum imperatorum (c. 12 init.) simillimus. Sub finem hujus vitae Spartianus promittit vitam Albini, qui Pescennii quasi socius fuit; quae tamen extat, circumfertur nomine Julii Capitolini. Pescennii vitam libenter rettulerim ad Capitolinum, ut fecit Dodwellus, sed mihi scrupulum injicit illud, quod Pescennii vita scripta est ad Diocletianum (cf. c. 9), contra Clodii Albini ad Constantinum (cap. 4).

Cap. 12. CLODIUS ALBINUS.

Pescennium Nigrum sequitur Clodius Albinus. Niger quidem, scriptus ad Diocletianum (cf. cap. 9), Spartiani nomen in fronte habet; Albinus, missus ad Constantinum (cap. 4), Capitolini nomine circumfertur. Sed utriusque vitae tanta est similitudo, ut ab uno atque eodem auctore (nimirum Capitolino) profecta esse videatur. Scriptor Albini idem res diligenter ac vere scribendi studium ostendit, quod praestitit auctor vitae Pescennii Nigri. Quod ad dicendi genus pertinet, in hos maxime quadrat, quod dicit de pluribus Salmasius: „eadem in multis prope verba, ut, si diversi „sint auctores censendi, uno veluti ore locuti videri debeant. [1])“ Jam vero ut de ipsis fontibus disseramus, afferenda videntur verba, quae leguntur sub finem Pescennii Nigri: *Sequitur nunc, ut de Clodio Albino dicam, qui quasi socius hujus habetur, quod et pariter contra Severum rebellaverunt, et ab eodem victi atque occisi sunt.* De quo ipso neque satis clara extant: *quia eadem fortuna illius fuit quae Pescennii, etiamsi vita*

[1]) Albinum et Nigrum esse unius auctoris, ex his verbis maxime fit probabile: Albin. c. 1: *Quare sortem illam, qua Severum laudatum in Pescennii vita diximus, ad se trahebat, nolens intelligi,* Pessimus Albus, *quod eodem versu continebatur, quo et Severi laus, et approbatio Nigri Pescennii.* Pescen. Nig. c. 8 copiosius loquitur de oraculo Delphici Apollinis, et versum Graecum ita expressit Latine: *Optimus est Fuscus, bonus Afer, pessimus Albus.* Trebellius Pollio in XXX tyrannis c. 11 epigrammatis Graeci Latinam translationem exhibet et ita pergit: *Hos ego versus a quodam grammatico translatos ita posui, ut fidem servarem.* — Credibile quidem est, id quod nonnulli putant, qui Julianum et Septimium Severum descripserit, eum etiam Pescennium Nigrum et Clodium Albinum scripsisse. At eodem jure etiam Avidius Cassius, qui est Vulcatii Gallicani, potest ab eodem auctore scriptus videri, qui scripsit M. Antoninum philosophum. Deinde istiusmodi ratiunculam admodum levem esse, vel ex hoc intelligitur, quod Marius Maximus ipsos tantum Caesares Augustos descripsit, non affectatores tyrannidis (Vopisc. in Firmo c. 1), Aemilius vero Parthenianus solummodo affectatores tyrannidis sibi enarrandos sumpsit (Vulcat. Gallic. in Avid. Cass. c. 5).

satis dispar. Cum saepius in hac vita commemorentur Avidius Cassius, Commodus, Pertinax, Julianus, Septimius Severus [2]), Pescennius Niger, qui eodem tempore vixerunt: hoc sponte intelligitur, horum imperatorum scriptores etiam Capitolino in enarranda Albini vita fontes vel fuisse vel esse potuisse. Sed ut in adhibendis fontibus diligens et religiosus fuit, ita etiam plures auctores nominatim affert, Marium Maximum, imperatorem Septimium Severum, Cordum, Herodianum, denique, quae illo tempore extabant, nonnullorum imperatorum epistolas. Ex his *Marius Maximus,* ut saepius jam monuimus, Albini vitam non peculiari libro exposuit, sed Nigri et Albini res in Severo enarravit, teste Vopisco in Firmo c. 1. Citatur autem Marius testis c. 3, ut ostendat, hunc animum imperatori Severo primum fuisse, ut Pescennium Nigrum et Clodium Albinum sibi substitueret, postea autem sententiam mutasse; tum cap. 9 de augurum responso, quod Severo contra Albinum pugnanti datum est, venturum quidem Albinum in potestatem Severi, sed nec vivum nec mortuum; quod etiam factum est, quum semivivus ad Severum deductus sit; paulo post eodem capite 9 Marius exhibetur testis de filiis Albini; denique cap. 12, quo loco postquam ostendit, quanta severitate Severus factionem vel Pescennianam vel Clodianam vindicaverit, ita pergit Capitolinus: *Quae quidem omnia in vita ejus posita sunt: quae qui diligentius scire velit, legat Marium Maximum de Latinis scriptoribus, de Graecis Herodianum, qui ad fidem pleraque dixerunt.* Sed *Herodiani* facta mentione addamus alterum locum cap. 1: *Clodium Herodianus dicit Severi Caesarem fuisse.* Citatur testis etiam in Lampridii Antonino Diadumeno c. 2 et Alexandro Severo c. 51 et 56; deinde in Capitolini Maximinis duobus c. 13 et Maximo et Balbino c. 15 et 16 (quem locum omisit Vossius de hist. Graec. p. 239), tum in Trebellii Pollionis triginta tyrannis c. 32. Vixit autem Herodianus una cum Dione Cassio Alexandri Severi et Gordianorum temporibus, scripsitque octo libris historiam paene sexaginta annorum inde ab excessu Marci Antonini philosophi usque ad mortem Balbini et Maximi imperiumque Gordiani tertii (a. 180 — a. 238), ita ut rebus, quas descripsit, ipse interfuerit (Capitolin. in Maximo et Balbino c. 15) [3]). Is ita scripsit, ut lectorum honestae delectationi magis quam accuratiori historicorum studio consuleret, neque tamen rerum fidem negligeret. Quanquam Capi-

[2]) Ut alios locos mittam, Albinus saepius commemoratur in Severo c. 6. 10. 11.

[3]) Cf. Herodiani prooemium I, 1 § 3 et lib. II, c. 15 § 7, quo tamen loco cum Wolfio aliisque ἑξήκοντα pro ἑβδομήκοντα legendum videtur. Ceterum lectores amandamus ad Wolfium, qui in narratione de Herodiano, quam editioni suae praemisit, pag. XXXII Herodianum censet sub M. Aurelii principatu natum esse, imperante autem Gordiano tertio historiam composuisse.

tolinus in Maximinis duobus c. 13: *ut Herodianus dicit, Graecus scriptor, qui ei quantum videmus, in odium Alexandri plurimum favit* [4]). Etiam aliis locis, ubi testis citatur Herodianus, magna est rerum ab historicis traditarum varietas ac diversitas, ut in Maximo et Balbino c. 15 et 16 et in triginta tyrannis c. 32, sed saepius una cum Dexippo, Graeco scriptore, de quo postea c. 18 dicemus, auctor nominatur, nec raro ita testis affertur, ut scriptores ei, quippe temporum suorum scriptori, certe aliquid tribuere videantur; cf. Lampridius in Alexandro Severo cap. 56. Breviter licet dicere de imperatore *Septimio Severo,* quoniam de eo cap. 10 copiosius disseruimus. Is vitam suam scripsit, ad quam Capitolinus in Albino provocat cap. 7: *Ad imperium* (Albinus) *venit natu jam grandior, et major Pescennio Nigro, ut Severus ipse in vita sua testatur.* Deinde Severi vita intelligenda est c. 10, ubi sermo est de Albini moribus, et c. 11, quo loco Severus ebrietatem morumque acrimoniam ei objecisse dicitur. Sed haec Severus belli tempore vel post bellum de hoste scripsit, ut parum fidei habeat. Ac priore quidem loco (c. 10) Capitolinus, veritatis diligens scriptor, ut Albinum virum utilem fuisse ostenderet (ut loquitur c. 11 init.), Severo et ipsum Severum et Marci Antonini epistolas opposuit; posteriore autem loco (c. 11) etiam Cordi testimonium affert, Albinum vini parcum fuisse dicentis, ita ut vere tradidisse videatur cap. 13: *in luxuria varius; nam saepe appetens vini, frequenter abstinens.* Restat, ut disputemus de *Cordo.* Is frequentissime simpliciter *Cordus* dicitur vel *Junius Cordus,* rarius *Aelius Cordus,* uno loco *Junius* [5]). Sed unum atque eundem scriptorem intelligendum esse, etiam Vossius censuit de hist. Latin. pag. 179. Quum testis citetur a Capitolino, quem constat sub Constantino vixisse, quumque Cordus etiam in Maximinis duobus, in Gordianis, in Maximo et Balbino auctor laudetur, videtur paulo

[4]) Cf. F. A. Wolfius l. l. p. XLVII — LVI, ubi Casaubonus et Wolfius Herodianum defendunt contra accusationem Capitolini. Addamus verba Wolfii l. l. p. XLVIII: *Testes hic habemus duos* (Dionem et Herodianum), *quorum uterque αὐτόπτης, uterque αὐτήκοος fuit, nonnunquam adeo diversa narrantes, ut rerum fides omnis in suspicionem venire videatur.* Herodianus, quantum videtur, nec litteras publicas nec ullum Latinum librum in scribenda historia adhibuit; nullius certe scriptoris mentionem facit; ne ibi quidem, ubi superiores scriptores reprehendit, lib. I c. 1 et lib. II extr., eorum meminit nominatim. Cf. Wolf l. l. pag. XLII.

[5]) *Junius Cordus* appellatur a Capitolino in Opilio Macrino c. 1; in Maximino juniore c. 1; in Gordianis tribus c. 12 et 14; in Gordiano juniore c. 17 et 21; in Gordiano tertio c. 22; in Maximo et Balbino c. 4. — *Aelius Cordus* in Capitolini Albino c. 5 et Maximinis duobus c. 12. — Simpliciter *Junius* vocatur in Capitolini Gordianis tribus c. 5. — Qui nominatur auctor *Julius* a Trebellio Pollione in Valerian. c. 3, intelligendus videtur *Junius* (Cordus).

post Maximinos et Gordianos scripsisse. Vixisse quidem Cordum sub Maximinis et Gordianis Vossius ait, nullo prorsus addito testimonio. Ac mihi quidem id probabile videtur, quia in Maximinis duobus c. 12 Cordus ita testis affertur, ut ipse nosse Maximinum videatur: nam postquam Capitolinus narravit, cujusmodi litteras, victa Germania, Maximinus ad senatum miserit, ita pergit: *Aelius Cordus dicit, hanc omnino ipsius sententiam fuisse; quod credibile est.* Atque in Gord. jun. c. 17 de Gordianorum nobilitate disputans, Cordum potissimum sequitur, nisi fallor, quod erat aequalis; cf. de Cordo commentationis nostrae c. 21. Auctor autem laudatur in Clodio Albino, in Opilio Macrino [6]), in Maximinis duobus, in Maximino juniore, Gordianis tribus, Gordiano juniore et Gordiano tertio, denique in Maximo et Balbino. Non autem nominatim affertur in Caracallo, neque in Antonino Geta, nec Diadumeno, nec Heliogabalo, ac ne in Alexandro Severo quidem, quod mirum videri potest, quum in Alex. Severi vita quindecim fere auctores nominentur. Sed noluisse Cordum omnium imperatorum vitas consignare, legimus in Opilio Macrino c. 1: *Et Junio quidem Cordo studium fuit eorum imperatorum vitas edere, quos obscuriores videbat: qui non multum profecit. Nam et pauca reperit et indigna memoratu, asserens se minima quaeque persecuturum: quasi vel de Trajano, aut Pio, aut Marco sciendum sit, quoties processerit, quando cibos variaverit, et quando vestem mutaverit, et quos quando promoverit: quae ille omnia exsequendo libros mythistoriis replevit talia scribendo, quum omnino rerum vilium aut nulla scribenda sint, aut nimis pauca, si tamen ex his mores possint animadverti, qui revera sciendi sunt: sed ex parte, ut ex ea cetera colligantur.* Ex hoc loco simul perspicitur, Cordum etiam Trajani et Pii ac Marci Antoninorum vitas enarrasse. Sed ut in vitis superiorum imperatorum usque ad Alexandrum Severum nemo saepius testis exhibetur quam Marius Maximus: ita postea omnium longe saepissime (locis fere viginti quatuor) auctor nominatur Cordus, ut bonus et locuples auctor fuisse videatur. Is imperatorum vitas copiosissime descripsit, ut ante eum Mar. Max., inseruitque etiam eorum epistolas et senatusconsulta, et hunc imprimis secutus est Capitolinus in Gordianis. Quae afferuntur a scriptoribus hist. Aug. imperatorum epistolae et S. C., ea magnam partem ex Marii Maximi et Junii Cordi libris sunt desumpta: cf.

[6]) Capitolinus sub Constantino vixit; nam Constantino dicavit Clodium Albinum (c. 4) et Maximinos duos (c. 1), et Gordianos (c. 34). Opilius Macrinus, qui vulgo (etiam a Dodwello) tribuitur Capitolino, missus est ad Diocletianum (c. 15 extr.). Sed quum parum probabile sit, Capitolinum alias vitas Diocletiano, alias (triginta vel quadragiuta annis post) Constantino dicasse, Opilius Macrinus non a Capitolino scriptus videtur. Cf. quae dixi in prooem. annotat. 1. Falsum igitur putandum est, quod Cordum ab uno Capitolino testem citari dicunt.

comment. nostrae c. 21. Versatus est autem Cordus multum in narrandis rebus minutis ac frivolis, quas Graeci vocant λεπτολογίας, et persaepe in ejusmodi rebus testis citatur. In Albino c. 5 extr: *Haec atque alia signa imperii futuri fuere, quae qui volet nosse, Aelium Cordum legat, qui frivola super hujusmodi omnibus [7]) cuncta persequitur.* Ibid. c. 7 auctore Cordo exemplum litterarum Septimii Severi ad Albinum affertur, quibus occiso Pescennio Nigro Severus Albinum hortatur, ut ipse cum eo fideliter rem publicam regat; nec mihi dubium videtur, quin omnia, quae c. 8 narrantur de insidiis, quas Severus Albino paravit, Cordi fide et auctoritate nitantur, quippe qui Severi litteras illas memoriae prodidisset. Sed, ut paulo ante diximus, Cordus id sibi potissimum proposuit, ut imperatorum res minutas ac frivolas parumque honestas copiose traderet, nec videtur a re alienum, aliqua afferre, unde id perspici possit. In Albino cap. 11: *Gulosum eum* (Albinum) *Cordus, qui talia persequitur in suis voluminibus, fuisse dicit: et ita quidem, ut pomorum tantum hauserit, quantum ratio humana non patitur. Nam et quingentas ficus passarias, quas Graeci callistruthias vocant, jejunum comedisse dicit, et centum persica Campana, et melones Hostienses decem, et uvarum Laricanarum pondo viginti, et ficedulas centum, et ostrea quadringenta. Vini sane parcum fuisse dicit, quod Severus negat* cet. In Maximinis duobus c. 6: *Erat praeterea, ut refert Cordus, magnitudine tanta, ut octo pedes digito videretur egressus: pollice ita vasto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo.* Ibidem c. 4 auctore Cordo refert, Maximinum bibisse saepe in die vini capitolinam amphoram, comedisse sexaginta libras carnis. In Maximino juniore c. 3: *Haec sunt, quae de puero sciri et dici decuit. Reliqua qui volet nosse de rebus Venereis amatoriis, quibus eum Cordus adspergit, eundem legat.* In Maximino juniore c. 5: *Longum est omnia persequi: quae qui scire desiderat, is velim, ut saepe dixi [8]), legat Cordum, qui haec omnia usque ad fabellam scripsit.* In Gordiano juniore c. 21: *Haec de Gordiano juniore digna memoratu comperimus: non enim talia dicere voluimus, quae Junius Cordus ridicule ac stulte composuit de voluptatibus domesticis ceterisque infimis rebus, quae qui velit scire, ipsum legat Cordum, qui dicit et quos servos habuerit unusquisque principum, et quos amicos et quot penulas quotve chlamydes: quorum etiam scientia nulli prodest. Siquidem ea debent in historia poni ab historiographis, quae aut fugienda sint aut sequenda [9]).* Sed ne iniquius de Cordo statuas,

[7]) Quaeritur, num legendum sit *ominibus.*

[8]) In vitis superioribus, quae quidem supersunt, hoc ter tantum dixerat, in Albino c. 5 et in Opilio Macrino cap. 1, et in Maximino juniore c. 3. Dicit autem idem saepius etiam in posteriorum principum vitis.

[9]) In Maximo et Balbino c. 4: *Sed priusquam de actibus eorum loquar, placet aliqua dicere de moribus atque genere: non eo modo, quo Junius Cordus est prosecutus*

monendum est, nos unum imprimis Capitolinum de eo judicem habere, deinde etiam scriptores historiae Augustae, qui supersunt [10]), res frivolas ac parum honestas saepius stulte ac ridicule narrare, denique Cordum etiam in rebus gravioribus haud raro testem afferri, exempli caussa in Albino c. 7 et in Maximinis duobus c. 12 et in Gordianis tribus c. 14, quibus locis imperatorum epistolae afferuntur, tum in Gordianis tribus c. 5 et 12, ubi, auctore Cordo, senatusconsulta commemorantur. Ac ne plura consecter (cf. Gord. jun. c. 19. Gordian. tert. c. 22. 26. 31. 33. Maxim. et Balbin. c. 4), Capitolinus locis ferme viginti quatuor hunc diserte auctorem appellat, et in Gord. jun. c. 17, allata auctorum varietate, ita pergit: *Sed ego Junium Cordum sequor* cet. Paeter hos rerum scriptores, quos in Albini vita diserte auctores Capitolinus nominavit (nam plures se habuisse significat) [11]), non minus bonos fontes adhibuit, imperatorum *epistolas.* Inseruit autem, quae extabant illo tempore, *epistolas Commodi* (c. 2 et 14), *Marci Antonini philosophi* (c. 10), *Severi* (c. 12), *Cejonii Posthumii* (qui erat pater Clodii Albini), iisque, ut aliquid vel ostendat vel refellat, imprimis nititur. Addit etiam ipsius *Albini conciones,* quae extabant (cap. 3 et 13), quas ille habuit apud milites [12]). De Albinorum familiae nobilitate, quae sit sua aetate, hoc est Constantini Magni temporibus, Capitolinus loquitur cap. 4.

---

omnia, sed illo, quo Suetonius Tranquillus et Valerius Marcellus: quamvis Curius Fortunatianus, qui omnem hanc historiam perscripsit, plura congerit: Cordus vero tam multa, ut etiam pleraque et minus honesta perscripserit.

10) Scribebant, ut temporum aures postulabant. Itaque Capitolinus in Maxim. et Balbin. c. 6: *et quoniam etiam minora plerique desiderant, fuit cibi avidus, vini parcissimus* cet.

11) Cap. 9: *ut multi dicunt — ut alii — multi praeterea dicunt — ut aliqui dicunt — dicitur.* Cap. 13: *ut plerique putant.* Cf. cap. 5 et 6.

12) De Albino adjungam, quod legimus sub finem cap. 11: (fuit) *agricolandi peritissimus, ita ut etiam Georgica scripserit. Milesias nonnulli ejusdem esse dicunt, quarum fama non ignobilis habetur, quamvis mediocriter scriptae sint.* De eodem Severus in epistola ad senatum c. 12: *Major fuit dolor, quod illum pro literato laudandum plerique duxistis, quum ille naeniis quibusdam anilibus occupatus inter Milesias Punicas Apuleji sui, et ludicra litteraria consenesceret.*

Scriptores historiae Augustae. Sources No. 3
875cr 7
DZ6

Programm

des

Fürstlich Hedwigschen Gymnasiums zu Neustettin,

womit zur

Feier des Geburtstages Sr. Majestät des Kaisers und Königs

am

23. März Vormittags 11 Uhr

ergebenst einladet

Dr. H. Lehmann,
Director.

Inhalt:

Neustettin, 1874.
Gedruckt bei F. E. Feilich.

DE FONTIBUS ET AUCTORITATE SCRIPTORUM HISTORIAE AUGUSTAE.

PARS II.

SCRIPSIT AUGUSTUS KRAUSE.

Quae Krausius septendecim abhinc annis de historiae Augustae scriptoribus nostri gymnasii programmate euulgauerat, eorum alteram partem, quam collega doctissimus iam tum oculorum lippitudine laborans conscripserat nuperque qua est humanitate ad nos transmiserat, publici iuris facere eo minus causae suberat cur dubitaremus, quoniam ex uiris doctissimis, qui hoc ipso tempore eius modi studiis operam dant, complures identidem exemplaria commentationis, quae tanto temporis interuallo paene iam oblitterata uideretur, a nobis requisiuerunt. Leuiter igitur, ut et ratio textus ab editoribus recentioribus codicum ex auctoritate sexcentis fere locis emendati postulabat et muneris scholastici occupationes sinebant, retractata iam sequuntur, quae uir doctissimus pro ea subsidiorum inopia, quibus ut tunc erant tempora praeceptori publico uti licebat, una ingenii facultate et inuenit et uel certiora uel probabiliora attulit de fontibus auctoritateque eorum, qui historiam temporum nostris certe hominibus cognitu dignissimorum complexi sunt.

Cap. 13. ANTONINUS CARACALLUS.

Ut in Didio Juliano ita in Caracallo Aelius Spartianus neminem auctorem laudauit, quamquam multos a se adhibitos esse indicauit.[1]) Quoniam autem haud

[1]) Cap. 8: *scio de Papiniani nece multos ita in litteras rettulisse — sed ego malui uarietatem opinionum edere quam de tanti uiri caede reticere — ut alii loquuntur — memoriae traditur — multi dicunt — est etiam haec fabella — sed hoc omnino non conuenit, nam — constat — et fertur quidem —* cap. 11: *aliqui contra dicunt —*: unde licet studium eius res uere perscribendi cognoscere.

dubium uidetur, quin Marius Maximus etiam Caracalli uitam scripserit, et hoc ueri simile est eum usum esse et Herodiano, de quo capite superiore diximus, et Cassio Dione, qui ab historiae Augustae scriptoribus nusquam citatur, et Dexippo de quo infra cap. 18 agetur, et fortasse Theoclio, quem Caesarianorum temporum scriptorem fuisse Vopiscus Aurelian. c. 6 testatur, et Cordo et Lollio Vrbico, de quo cap. 16 disputabitur. Quae uero citantur Caracalli edicta et orationes (c. 4 extr.) et litterae ad amicos (c. 5 extr.) uel ad senatum (c. 6) datae, ea non liquet utrum ipse legerit Spartianus an aliunde cognouerit: Lampridius certe in Commodo et in Pertinace Capitolinus talia ex Marii Maximi libris desumpserunt. Opera a Caracallo Romae exstructa, Thermas eximias, templa Isidis, nouam uiam ab illo munitam, quae cap. 9 accuratius describuntur, ea omnia procul dubio ipse uidit. Idem diserte testatur, suo tempore i. e. octoginta fere annis post, et Antoninianas caracallas, quo ex uestimenti genere imperator cognomen accepisset, in usu plebis Romanae fuisse (c. 9) et impetatorem inter Deos relatum habuisse templum, salios, sodales Antoninianos (c. 11.) Denique breuiter attingamus, quod c. 1 de Caracalli maioribus disputans lectores ad uitam Septimii Seueri a se editam remittit seque Getae res gestas litteris mandaturum c. 11 promittit [2]).

Cap. 14. ANTONINUS GETA.

Quisquis Getae uitam ad Constantinum Magnum (cap. 1) conscripsit, siue Spartianus fuit siue ut aliis placuit Capitolinus, eundem etiam Caracalli res gestas exposuisse ex iis apparet quae modo disputauimus. Is complures [3]) auctores secutus est, etsi neminem diserte nominauit nisi Marium Maximum, quem c. 2 legimus de Getae uita et moribus in uita Seueri primo septenario satis copiose rettulisse, et Vopiscus Firm. c. 1 testatur uitas eorum, qui affectassent quidem dominationem, non autem imperio praefuissent, non propriis libris persecutum esse sed alienis iunxisse longe alia ratione atque Aemilium Parthenianum supra cap. 6 docuimus egisse.

[2]) ad ea quae cap. 10 de Caracalli cognominibus leguntur, conf. Get. c. 6, ad prodigia Getae necem praecedentia Carac. c. 11 cf. Get. c. 2 et 4 extr.

[3]) c. 1 et 5: *ut quidam dicunt*; c. 2: *dicunt aliqui*; c. 3: *etsi aliter alii prouiderunt*; c. 6: *ut alii dicunt — ut alii.*

Fontibus autem noster uidetur in Getae uita iisdem usus esse, qui de rebus Septimi Seueri patris identidem (c. 1. 2. 3. 4.) commemorati adhibiti sunt, quo in numero praeter eum quem modo diximus Marium Maximum ipse Seuerus et Aelius Maurus Phlegontis Tralliani libertus referendi sunt.

Iam libet hoc loco mentionem facere Sereni Sammonici, cuius libros ad Antoninum scriptos Getam c. 5 legimus familiarissimos habuisse. Fuisse autem constat duos eius nominis, patrem et filium, ex quibus ille floruit sub Septimio Seuero, teste Macrobio Sat. III. 16, 6: *temporibus Seueri principis, qui ostentabat duritiam morum, Sammonicus Serenus uir suo saeculo doctus, cum ad principem suum scriberet — verba Plini — praemisit.* Idem Get. c. 5 commemoratur et Carac. c. 4: *occisique nonnulli etiam cenantes, inter quos etiam Sammonicus Serenus, cuius libri plurimi ad doctrinam extant.*

Reliquit autem praeter alia libros rerum reconditarum (Macrob. Sat. III. 9, 6) propter quos a quibusdam in historicorum numero enumeratur ad quosque Arnob. adu. g. VI. 7 fortasse respexit. Ad patrem maluerim referre quae apud Lamprid. Alex. c. 30 leguntur: *Latina cum legeret, non alia magis legebat quam de officiis Ciceronis et de republica, nonnumquam et orationes et poetas, in quis Serenum Sammonicum, quem ipse nouerat et dilexerat.* Filius autem intellegendus est Capitol. Gord. 16: *Sereno Sammonico, qui patris eius amicissimus, sibi autem praeceptor fuit, nimis acceptus et carus usque adeo ut omnes libros Sereni Sammonici patris sui, qui censebantur ad sexaginta et duo milia, Gordiano minori moriens ille relinqueret, quod eum ad caelum tulit, siquidem tantae bibliothecae copia et splendore donatus in famam hominum litterarum decore peruenit.*

Cap. 15. OPILIUS MACRINUS.

De fontibus hac in uita adhibitis auctor ipse cap. 1 copiosius locutus de difficultate uitas eorum principum scribendi siue tyrannorum siue Caesarum, qui non diu imperarunt, quia nec de priuata eorum uita digna sint quae dicantur nec de imperio breui amisso multa dici possint, tamen se profitetur quae memoratu digna sint ex diuersis historicis [4]) eruta prolaturum esse. Quae iam adduntur de Iuni Cordi studio obscuriorum imperatorum uitas edendi, de iis suffecerit ablegare lectores ad ea quae

[4]) similiter c. 15: *haec de Macrino nobis sunt cognita, multis aliqua uariantibus ut se habet omnis historia, quae de plurimis collecta.* cf. c. 2. 3. 4. 10, ubi uarii auctores tanguntur.

supra cap. 12 dicta sunt. Neque uero dubitauerim negare de Macrini rebus a Mario Maximo scriptum esse, quoniam huius imperatoris uita c. 1 in obscuro latere dicitur.

Sed ne longi simus in enumerandis scriptorum nominibus, quorum libros nostro adhibere licuerit, duos tantum nominabimus Herodianum et Lollium Vrbicum, qui in uita Diadumeni Macrini filii diserte laudantur. Denique afferuntur c. 6 aliquot capita litterarum a Macrino et Diadumeno de morte uel potius nece Caracalli ad senatum missarum, itemque c. 7. 11. 14 uersuum quorundam etiamtum extantium mentio fit.

Cap. 16. DIADUMENUS ANTONINUS.

Huius uitae initio[5]) auctor multus est in exponenda ratione, qua Antonini cognomen acceperit Diadumenus suamque narrationem confirmat contione a Macrino habita additisque et acclamatione militum (c. 1) et ipsius Diadumeni pueruli uerbis (c. 2). Tum haec ait ab Herodiano praetermissa esse, qui his de rebus nihil dixerit, nisi Diadumenum puerum a militibus Caesarem nuncupatum esse et cum patre occisum. Praeter hunc, quo de supra cap. 12 egimus, de Diadumeni crudelitate testis laudatur Lollius Vrbicus: postquam enim litterarum ad matrem datarum exempla exhibuit c. 9 pergit: *et quantum Lollius Vrbicus in historia sui temporis dicit istae litterae per notarium proditae illi puero multum apud milites obfuisse dicuntur. Nam cum patrem occidissent quidam hunc seruare noluerunt, sed extitit cubicularius qui has epistulas contioni militum legit. interfectis igitur ambobus* rel. quibus ex verbis perspicitur, Lollium Macrini et Heliogabali temporibus uixisse litterasque illas historiae suorum temporum inseruisse. Vtrum autem uere historiam scripserit an uitas imperatorum, in dubio relinquendum uidetur, quoniam etiam Tacitus uitas Caesarum scripsisse dicitur nec ueteres historiarum siue annalium scriptores et uitarum accurate discernunt. Sed ut ad Diadumeni litteras redeamus, non solum epistula illa (c. 9) quae ad matrem destinata erat, sed fortasse etiam reliquae, quarum exempla afferuntur, Diadumeni ad patrem c. 8,[6]) et Macrini ad Noniam Celsam uxorem c. 7 ex Lollii libris depromptae

[5]) Vitae Diadumeni et Heliogabali uulgo Lampridio tribuuntur, Dodwellus has et Macrini Capitolino adscripsit. Nobis certe unus idemque omnes tres uidetur scripsisse, quia Diadum. c. 9 extr. uita Heliogabali promittitur et c. 6 legitur: *haec sunt quae digna memoratu in Antonino Diadumeno esse uideantur, cuius uitam iunxissem patris gestis, nisi Antoniorum nomen me ad edendam puerilis specialem expositionem uitae coegisset.*

[6]) de hac epistula c. 8 extr.: *hanc epistulam quidam ipsius, quidam magistri eius Caeliani ferunt, Afri quondam rhetoris.*

sunt. Certe quod c. 7 ait *extare* Macrini epistulam, inde non sequitur ipsum litteras illius manu conscriptas legisse, cum etiam c. 9 Diadumeni epistula *extare* dicatur. Ac saepius iam uidimus hos scriptores hoc uocabulo usos esse de epistulis apud Marium Maximum proditis, qua de causa dubitari licet utrum ipse legerit an ex aliorum libris transscripserit quae c. 1 et 2 accurate ad uerbum refert ex contione et uerba edicti c. 2 et uersus in Commodum dictos c. 7;saltem multos se in hac uita scribenda adhibuisse auctores fatetur c. 5 ct. 2. 7 6. 8.

Cap. 17. ANTONINUS HELIOGABALUS.

Lampridius[7]) si quidem hanc uitam scripsit unum auctorem nominauit Marium Maximum c. 11: *ferunt multi, ab ipso primum repertum, ut in uindemiarum festiuo multa in dominos iocularia et audientibus dominis dicerentur, quae ipse composuerat, et Graeca maxime, horum pleraque Marius Maximus dicit in uita ipsius,* etiamsi et h. l. et alias (cf. c. 2. 11. 13. 22. 25. 27. 29. 30. 31) multorum se secutum esse auctoritates testatur, v. imprimis c. 18: *de huius uita multa in litteras missa sunt obscena, quae quia digna memoratu non sunt, ea prodenda censui quae ad luxuriam pertinebunt;* cap. 34: *sed primum omnium ipse ueniam peto, quod haec quae apud diuersos repperi litteris tradidi, cum multa inproba reticuerim et quae ne dici quidem sine maximo pudore possunt, ea uero quae dixi praetextu uerborum adhibito quantum potui texi;* cap. 35: *haec sunt de Heliogabalo, cuius uitam me inuitum et retractantem ex Graecis Latinisque collectam scribere ac tibi offerre uoluisti, cum iam aliorum tulerimus.* Facillime autem fieri potuit, ut et ex Graecis praeter Cassium Dionem Herodianum et Dexippum, quorum ad testimonia prouocauit in Alexandri Seueri uita, sequeretur et si non omnes tamen maximam eorum partem, quos ut Alexandri ita etiam Heliogabali res gestas exposuisse eo ueri simile fit, quod illius in hoc libello sexcentiens fere mentio facta est. Quae c. 13 breuiter tanguntur litterae Heliogabali ad milites missae et c. 4 senatus consulta Symiamira i. e. a mulieribus facta, ea nostrum putauerim minus ipsa inspexisse quam aliorum ex libris cognouisse. Commemorantur praeterea c. 17 opera aliquot publica ab Heliogabalo exstructa nostrique aetate exstantia, c. 22 affirmatur modum sortium conuiualium ab illo institutum etiam nunc ualere, denique c. 24 legimus

[7]) Lampridius siue ut Dodwellus vult Capitolinus hanc uitam Constantino dedicavit c. 2. 34 cl. 35, atque aliorum imperatorum uitas se et scripsisse (c. 35) et scripturum esse ait Gordianorum, Alexandri, Aureliani, Claudii, Diocletiani, Maximiani, Licinii, Maxentii. v. c. 34. 35.

saxa Lacedaemonia et Porphyretica, quibus ille in Palatio plateas Antoninianas strauisset, ad nostri memoriam mansisse nuperque eruta et exsecta esse.

Cap. 18. ALEXANDER SEVERUS.

Nulla in uita tanta auctorum multitudo nominatur, quanta in hac, quae Constantino dedicata (c. 65. 67) centum fere annis post Alexandri necem conscripta est. Eo ex numero primus ipse imperator uitas bonorum principum uersibus scripsisse dicitur c. 27 uidetur autem Graece scripsisse, ut qui huius linguae peritior et amantior esset quam Latinae.[8]) Idem *stemma generis* depinxerat, quo familiam suam a Metellis deducendam esse probaret, (c. 44) Syrum enim se dici nolebat. Tum ex *actis urbis*[9]) desumptae acclamationes senatus et imperatoris gratiarum actiones (c. 6—10) ex *actis*que *senatus* petita sunt et quae imperator triumpho de Persis acto in senatu dixit senatorumque acclamatio (c. 56). Adduntur deinceps c. 57: *dimisso senatu — contionem huius modi habuit: Quirites, uicimus Persas, milites diuites reduximus, uobis congiarium pollicemur, cras ludos circenses Persicos dabimus, haec nos et in annalibus et apud multos repperimus:* quo loco *annalium* uocabulo eadem senatus acta significari facile patet, quoniam de re plane eadem sermo est. Sed quaeritur utrum cap. 1 in. ubi legitur: *nomen* (Antonini) *ex annalibus senatus auctoritate erasum est,* acta senatus an qui annales sint intellegendi, itemque quae c. 53 sq. ad seueritatem Alexandri significandam inserta est contio militaris, in dubio est utrum ea ex actis an ex historico aliquo sumpta sit.

---

[8]) Facile id conici potest ex c. 3: *sed in Latinis non multum profecit, ut ex eiusdem orationibus apparet, quas in senatu habuit uel in contionibus apud milites uel apud populum nec ualde amauit Latinam facundiam;* item c. 27 legitur: *facundiae fuit Graecae magis quam Latinae nec uersu inuenustus;* c. 34: *habebat cum priuatim conuiuaretur et librum in mensa sed Graeca magis* cf. c. 30 in. 35 in.

[9]) de actis urbis et senatus disputauimus in libello de fontib. Suet. p. 53, quibus nunc addimus Tac. Ann. 16, 22. Plin. ep. 7, 33. Cass. Dio 67, 11. Etiam Ascon. in arg. or. Mil. in. contra Fenestellam actorum auctoritate utitur. Lamprid. Comm. c. 15 auctore Mario Marimo tradit, Commodum hunc habuisse morem ut omnia quae turpiter quae gladiatorie quae lenonice faceret actis urbis indi iuberet. Usi sunt actis senatus et populi etiam Vopiscus Prob. c. 2. et Spartianus Hadrian. c. 3: *post quaesturam acta senatus curavit.* Eadem denique intellegenda uidentur Alex. Seuer. c. 33: *fecit Romae curatores urbis quattuordecim sed ex consulibus uiros quos audire negotia urbana cum praefecto urbis iussit, ita ut omnes aut magna pars adessent cum acta fierent.*

Prius autem quam producamus agmen scriptorum, quorum ad auctoritatem prouocatur, non uidetur a re alienum afferre quae c. 3 de Alexandro Seuero leguntur: *amauit litteratos homines uehementer, eos etiam reformidans, ne quid de se asperum scriberent, denique quos dignos ad id esse uidebat singula quaeque quae publice priuatimque agebat se ipso docente uolebat addiscere, si forte ipsi non adfuissent, eosque petebat ut si uera essent in litteras mitterent.*

Vitam Alexandri complures scripserunt, quo ex numero primus nominetur **Aurelius Philippus**, de quo c. 3 legimus: *in prima pueritia litteratores habuit Valerium Cordum et L. Veturium et Aurelium Philippum libertum patris, qui uitam eius postea in litteras misit.*

Eodem tempore uixit **Encolpius** qui item Alexandri uitam litteris consignauit, v. c. 17: *referebat Encolpius quo ille* (Alex.) *familiarissimo usus est, illum si unquam furem iudicem uidisset paratum habuisse digitum, ut illi oculum erueret.* Item cap. 48 Quinti Camilli mentione facta additur: *scio uulgum hanc rem quam contexui Traiani putare, sed neque in uita eius id Marius Maximus ita exposuit neque Fabius Marcellinus, neque Aurelius Verus neque Statius Valens qui omnem eius uitam in litteras miserunt. Contra autem Septimius et Acholius et Encolpius uitae scriptores ceterique de hoc talia praedicauerunt, quod ideo addidi ne quis uulgi magis famam sequeretur quam historiam quae rumore utique uulgi uerior reperitur,* quem locum transscripsimus totum, quo appareret Marium Fabium Aurelium Statium Traiani non Alexandri βιογράφους fuisse.

Commemoratur porro **Septimius** c. 17: *addit Septimius, qui uitam eius non mediocriter executus est, tanti stomachi fuisse Alexandrum in eos iudices qui furtorum fama laborassent, etiamsi damnati non essent, ut si eos casu aliquo uideret commotione animi stomachi choleram euomeret toto uultu exardescente, ita ut nihil loqui posset.* Eum ueri simile est Alexandro aequalem fuisse, quoniam una cum Encolpio de iisdemque rebus testis citatur.

Qui praeter hos nominatur **Acholius**, eius mentio est facta c. 14 extr.: *rerum memoria singularis quam mnemonico Ach. ferebat adiutam,* et c. 64, ubi inter historicos numeratur Alexandrique itinera dicitur scripsisse. Eundem Vopiscus Aurel. c. 12 docet sub Valeriano magistrum fuisse admissionum huiusque imperatoris res gestas nouem certe libris complexum esse.

Iam sequitur **Gargilius Martialis** qui Alexandri aetate et paulo post florebat cuiusque testimonium laudatur de cibis, quibus imperator uesci solitus sit. Eiusmodi de rebus eum copiosius egisse apparet[10]) neque est quod dubitemus quin noster cum

---

[10]) Cap. 37: *ne longum sit omnia inserere quae Gargilius eius temporis scriptor singulatim persecutus est.*

magnam partem eorum, quae de principis uita cotidiana c. 29—44 exposuit, huic Encolpioque debuerit, tum quae de Martialis epigrammate uersibusque poetae cuiusdam aequalis ex Gargilii scriptis petiuerit. Idem inter eos qui imperatorum uitas non tam diserte quam uere memoriae prodiderunt a Vopisco refertur Prob. c. 2.

De Mario Maximo quoniam supra cap. 1 uberius disseruimus, h. l. sufficerit annotare quod ad uitas ab eo conscriptas Traiani c. 48, Hadriani c. 30, Alexandri c. 5 respicitur scripta eius c. 65 commemorantur quaeque c. 21 et 68 legimus ipsius auctoritate nituntur.

Praeter hos Latinos duo citantur Graeci scriptores Herodianus et Dexippus, ex quibus de illo cap. 12 ita egimus, ut nunc paucis rem absoluere liceat. Respexit enim noster c. 52 et 57 ad Herodiani VI. 1, 7 et 6, 3, rem ab Alexandro a. 233 aduersus Persas male gestam esse illo auctore affirmans. [11])

De Herennii Dexippi Atheniensis aetate Eunapius apud Porphyrium *καθ' οὓς* inquit *χρόνους* (i. e. Gallieni, Claudii, Aureliani, Taciti, Probi) *ην καὶ Δέξιππος ο τὴν χρονικὴν ἱστορίαν συγγράψας, ἀνὴρ ἁπάσης παιδείας τε καὶ δυνάμεως λογικῆς πλέως*. Scripsit praeterea Photio teste *ἕτερον σύντομον ἱστορικὸν μέχρι τῆς Κλαυδίου ἀρχῆς*, quod compendium ab historiae Aug. scriptoribus identidem laudatur: Alex. Seuer. c. 49, Maximin. iun. c. 6 et 7, Gordian. trib. c. 2. 9. 19. 23, Maxim. et Balb. c. 1. 15. 16, Gallien. duob. c. 13. XXX tyr. c. 32, Claud. c. 12, quibus ex locis patet eum et exercitui praefuisse et res gestas breuiter quidem sed tamen ad fidem persecutum esse. Quod autem Vossius d. hist. Gr. II. p. 241—243 ex iis, quae in uita Gallien. c. 13 leguntur, opinatus est eundem Scythica scripsisse, id parum uidetur liquere.

Multis denique locis auctores suos noster significauit, [12]) nomina quidem eorum

---

[11]) cap. 52: *ἀναίματον imperium eius, cum fuerit durus et tetricus, idcirco uocatum est quod senatorum nullum occiderit, ut H. Graecus scriptor refert in libris temporum suorum.* Cap. 57 postquam exposuit Alexandrum contra Persas rem bene gessisse pergit: *haec nos et in annalibus et apud multos repperimus . sed quidam dicunt a seruo suo eum proditum non uicisse regem sed ne uinceretur fugisse . quod contra multorum opinionem dici non dubium est iis, qui plurimos legerint . nam et amisisse illum exercitum dicunt fame frigore ac morbo, ut H. auctor est contra multorum opinionem.*

[12]) c. 3: *plerique,* c. 25: *quidam,* c. 26: *alii — alii,* c. 37: *quidam,* c. 41: *dicitur,* c. 58: *alii — multi — multi,* c. 61: *aliqui,* c. 63: *ab aliis perhibetur,* c. 29: *in lorario suo, quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum Abraham et Orfeum et huiuscemodi ceteros habebat ac maiorum effigies* cf. c. 22. 49. 51 et imprimis 43, ubi Christi et Christianorum mentio facta est.

reticens, aliis [13]) de sui temporis moribus rebusque etiam tunc extantibus mentionem fecit, aliis [14]) dissensiones auctorum diligenter annotauit id agens ut religiose uideretur scripsisse. [15]) Postremo c. 64 promisit se si uita suppeditaret de iis imperatoribus scripturum esse qui ad Aurelianum eiusque successores rebus Romanis praefuissent.

Cap. 19. MAXIMINI DUO.

Ex iis, qui in hac uita adhibiti sunt [16]) auctores, Cordus tantum et Herodianus diserte nominantur, de quibus supra cap. 12 disputauimus. Et Herodianus quidem c. 13 Maximino in odium Alexandri dicitur plurimum fauisse. Cordo autem auctore Maximinus narratur in die sexaginta libras carnis comedisse (c. 4) et fuisse tanta magnitudine ut octo pedes digitis sex excederet polliceque ita uasto ut uxoris dextrocherio uteretur pro anulo. (c. 6) Idem, quamquam minima quaeque persequi solebat, etiam grauioribus de rebus laudatur, ut c. 12, ubi sermo est de bello contra Germanos gesto litterisque uicta Germania ad senatum populumque missis, quibus transscriptis additur: *Aelius Cordus dicit hanc omnino ipsius orationem fuisse: credibile est.*

---

[13]) c. 4. 26 39. 40. 41. 43. 63.

[14]) c. 25. 26. 48. 59. 64.

[15]) Studebat certe res certo quodam ordine exponere, v. c. 29: *antequam de bellis eius et expeditionibus et victoriis loquar, de vita cottidiana et domestica pauca disseram* et c. 45: *expeditiones bellicas habuit de quibus ordine suo disseram . primum tamen eius consuetudinem dicam de rebus uel tacendis uel prodendis.* Nihilo minus tamen de una eademque re compluribus locis locutus est ut de litterarum studio c. 3. 27. 30. 34. — Exscripsisse denique nostrum h. l. Eutropius uidetur:

c. 26: in matrem Mamaeam unice pius fuit. — c. 52: seueritatis autem tantae fuit in milites, ut saepius legiones integras exauctorauerit.	Eutr. VIII. 23: in matrem suam Mammaeam unice pius — militarem disciplinam seuerissime rexit, quasdam tumultuantes legiones integras exauctorauit.

[16]) c. 7: *quidam dicunt — alii; quidam — quidam;* c. 17: *ut quidam sunt auctores:* c. 21: *plerique sane dicunt;* c. 24: *Maximus quidam quem multi Puppienum putant;* (Eutrop. IX, 2 Puppienum appellat; est autem Puppienus Maximus. Multi illi qui appellantur sunt scriptores Latini, v. Maximin. iun. extr.: *Latini scriptores non Maximum sed Puppienum apud Aquileiam pugnasse dixerunt eundemque uicisse . qui error unde natus sit, scire non possum, nisi forte idem est Puppienus qui Maximus . quod ideo testatum posui, ne quis me hoc nescisse crederet.* Maxim. et Balb. c. 18: *haec epistula probat Puppienum eundem esse qui a plerisque Maximus dicitur, siquidem per haec tempora apud Graecos non facile Puppienus, apud Latinos non facile Maximus inueniatur et ea quae gesta sunt contra Maximinum modo a Puppieno modo a Maximo acta dicantur.*) cf. praeterea c. 1. 4. 6. 9. 10. 11. 17. 22. 27. *ut aliqui dicunt;* c. 31: *plerique dicunt — et alii;* c. 33: *multi alii Graeci — Latini scriptores.*

Praeter litteras Maximini c. 12 exhibitas etiam altera eiusdem epistula (siue oratio) ad senatum missa extare dicitur, unde pauca c. 13 transscribuntur, item c. 15 exemplum affertur epistulae a senatu ad prouincias missae, qua Maximinus eiusque filius hostes iudicantur et Gordianus Augustus appellatur. Eadem de re senatusconsultum c. 16 inseritur alterumque c 25 quod factum est cum nuntius de Maximini nece esset allatus; c. 18 exemplum legitur contionis apud milites habitae. denique c. 5 uerba ab Alexandro Seuero de Maximino in senatu facta.

Ad ipsum Maximinum pertinet quod c. 1 traditur ipsum nomina parentum primis temporibus prodidisse, postea uero, cum ad imperium uenisset, ea occuli iussisse, ne utroque parente barbaro genitus uideretur. etiamsi non liquet, nosterne rem ex Maximini litteris an aliunde cognouerit. Sane imperator, qui nisi ingentibus corporis uiribus et insigni animi crudelitate non excelluerit, admodum pauca putandus est scripsisse et quae c. 12 afferuntur ipsius litterae eas additur ab illo esse dictatas.

Ceterum quam studiosus noster fuerit ueritatis abunde cognoscitur ex iis locis, ubi suorum auctorum iudicia proposuit, maxime ex c. 7 et 24, quibus exponitur quid alii de nomine eius, qui apud Aquileiam uicit et de Alexandri Seueri nece tradiderint, in quo id consulto uidetur neglexisse, quod Maximinum tum demum accepisse imperium, cum milites pertinaciter deneganti mortem minati essent Horodianus VI. 8, 6 scripsit, quippe qui Alexandri odio ad Maximini fauorem esset compulsus.

Quodsi iam quaeratur, quibus praeterea auctoribus uti nostro licuerit, facile patet, eum cum sub Caracalla Macrino Heliogabalo Alexandro uiueret (v. c. 4. 5. 6. 7) et eos qui in horum uitis commemorantur auctores adhibere potuisse et eos qui in Maximino iuniore enumerantur, quo in numero e Graecis sunt praeter multos alios haud nominatos Dexippus (c. 6. 7.) et Arrianus (c. 7 cf. Gordian. c. 2, Maxim. et Balb. c. 1) e Latinis Cordus (c. 1. 2. 3. 5.) et Aelius Sabinus (c. 6) qui aliunde prorsus ignoratur.

Cap. 20. GORDIANI TRES.

In Gordianorum uitis ad Constantinum (c. 34 extr.) conscriptis quattuor nominantur auctores: Junius Cordus c. 4. 5. 12. 14. 17. 19. 21. 22. 26. 31. 33, Vulcatius Terentianus, qui c. 21 historiam sui temporis scripsisse fertur cuiusque ad auctoritatem de statura et facie Gordiani senioris prouocatur, Arrianus et Dexippus, qui c. 2 contra quosdam *imperitos scriptores* testati esse dicuntur non duos sed tres fuisse Gordianos

cf. c. 9. 19. 23 Secutus autem uidetur noster praeter hos et Curium Fortunaianum, *qui omnem hanc historiam perscripsit* (Maxim.et Balb. c. 4) et Herodianum.

Inspexisse quidem uidetur magna cum diligentia et epistulas et acclamationes et senatusconsulta aliasque id genus monumenta litterata ad res imperatorum spectantia, quae etiamtum extabant ab ipsoque magna ex parta ad uerbum sunt descripta, sed quoniam et in Pertinacis uita c. 2 Marci imperatoris oratio, quam Marius Maximus libris suis inseruerat, et Gord. c. 5 acclamatio Afrorum a Junio *in litteris relata* extare dicuntur similiterque c. 14 litterarum exemplum a Junio Cordo editum transscribitur et c. 11 senatusconsultum laudatur *Junio Cordo auctore tacitum*, quo Gordiani imperatores Maximinus hostis iudicatus est, mihi quidem nihil uidetur ueri similius quam haec omnia ex Cordi libris esse desumpta. Neque aliter nobis quidem uidetur statuendum de his locis: c. s. *extat epistula ipsius Alexandri, qua senatui gratias agit, quod Gordianum ad Africam proconsulem destinauerit, cuius hoc exemplum est:* c. 13: *extat denique eius epistula ad praefectum urbi talis;* c. 14: *Maximinus statim cohortatus est milites hoc genere contionis;* c. 24: *extat denique et soceri eius (Misithei) ad eum epistula et ipsius Gordiani ad socerum,* qua allata c. 25 ita pergitur: *et Misithei quidem epistulam Graecam quidam fuisse dicunt sed in hanc sententiam;* c. 27: *extat oratio* (i. e. epistula) *Gordiani ad senatum, qua de rebus gestis suis scribens Misitheo praefecto suo et socero ingentes gratias agit, cuius partem indidi.*

Similiter noster ne titulos quidem uidetur legisse, qui c. 27 et 34 commemorantur, alter Misitheo a senatu decretus, alter sepulcluro Gordiani tertii litteris Graecis Latinis Persicis Judaicis Aegyptiacis inscriptus. Nosse autem ac legisse putandus est ea Gordianorum scripta quorum in hoc libello fit mentio: c. 3 *adulescens . . . poemata scripsit quae omnia extant et quidem cuncta illa quae Cicero i. e. Marium et Aratum et Halcyonas et Vxorium et Nilum. quae quidem ad hoc scripsit, ut Ciceronis poemata nimis antiqua uiderentur. scripsit praeterea quem ad modum Vergilius Aeneidos et Statius Achilleidos et multi alii Iliados* (ed. pr eliados) *ita etiam ille Antoniados, hoc est Antonium Pium et Antoninum Marcum uersibus disertissimis libris triginta uitam illorum et bella et publice priuatimque gesta perscribens;* et c. 4: *scripsit et laudes soluta oratione omnium Antoninorum qui ante eum fuerunt;* v. quae c. 20 de Gordiano iuniore leguntur: *extant dicta et soluta oratione et uersibus Gordiani iunioris, quae hodie ab eius affinibus frequentantur, non magna non minima sed media et quae appareat hominis esse ingeniosi sed luxuriantis et suum deserentis ingenium*

Denique nostri temporibus i. e. octoginta fere post Gordianos annis super-

fuisse docemur et domum uillamque Gordianorum (c. 32) et picturam ad Gordiani senioris aedilitatem ludosque tunc editos pertinentem. (c. 3.) Item ex c. 4 cognoscimus etiam sub Gordiano seniore acta publica esse confecta. Neque est quod de diligentia nostri in scribendo adhibita dubitemus, ubi respexerimus, qua ratione indicauerit quos sit secutus auctores.[17]

Cap. 21. MAXIMUS ET BALBINUS.

Quoniam hi temporibus Maximinorum et Gordianorum uixerunt, facile suspicari possumus, nostrum de eorum rebus iisdem usum esse fontibus, quos in illorum uitis secutus erat. Nominatim commemorantur ex Latinis Junius Cordus et Curius Fortunatianus, de quo nihil constat praeterquam quod omnem horum temporum historiam perscripsisse dicitur.[18] Cordum apparet ex c. 4 et 12 copiosius de his temporibus scripsisse utque eo auctore uterque Gordianus inter deos traditur relatus esse, ita uix est quod dubitemus quin sententiae senatorum c. 1 et 2, acclamatio c. 2, epistula gratulatoria Claudii Iuliani consulis ad Puppienum et Balbinum c. 17 commemorata ex eius libris petitae sint. Ex Graecis qui nominantur Arrianus c. 1, Dexippus c. 1 et c. 16 quater, Herodianus c. 15 ter et c. 16, eius quem postremum posuimus auctoritas certe in Maximi uita praeualet.[19]

Balbini domum sua aetate Romae superfuisse noster c. 16 diserte testatur. idem

---

17) c. 4: *ut multi dicunt — ut plerique autem afferunt;* c. 9: *addunt quidam — in plurimis libris autem inuenio;* c. 10. 16. 17: *ut nonnulli — ut plurimi — alii dixerunt;* c. 19. 20 22 *plerique — nonnulli — ut plures — ut plures — ut unus aut duo, nam plures inuenire non potui:* c. 25. 28. denique c. 33 ad Sueton. Caes. c. 89 uidetur respici.

18) c. 4: *sed priusquam de actibus eorum loquar, placet aliqua dici de moribus atque genere, non eo modo quo Iunius Cordus est persecutus omnia, sed illo quo Suetonius Tranquillus et Valerius Marcellinus: quamuis Curius Fortinatianus qui omnem hanc historiam perscripsit pauca contigerit, Cordus uero tam multa ut etiam pleraque et minus honesta perscripserit.* Qui h. l. inter historiae Augustae scriptores enumeratur, Valerius Marcellinus, etiamsi nesciamus quibus de imperatoribus scripserit, tamen cum et ei opponatur, *qui omnem hanc historiam perscripsit*, et cum Suetonio arcte ille coniungatur, et Fortunatiano et Cordo uidetur fuisse antiquior.

19) c. 15: *haec sunt quae de Maximo ex Herodiano Graeco scriptore magna ex parte collegimus.*

saepius significauit aliorum auctoritates se secutum esse eorumque dissensiones accurate notauit.[20]

Cap. 22. VALERIANUS PATER ET FILIUS.

Iis ex libris, quibus Trebellius Pollio teste Vopisco (Aurelian. c. 2) uitas eorum imperatorum tam clarorum quam obscurorum complexus est, qui a duobus Philippis usque ad diuum Claudium eiusque fratrem Quintillum i. e. ab a. 243 ad a. 270 rebus Romanis praeerant, perierunt uitae eorum qui ab a. 243 ad a. 253 imperabant, Philippi scilicet Decii Galli Volusiani Aemiliani,[21] supersunt Valerianorum Gallienorum triginta tyrannorum diuique Claudii.

Dicendi genere usus est terso ac limato nec pro ea qua scripsit aetate laude indigno, multa enim uenuste traduntur, etiamsi Claudii uita panegyricum redolet, quare non dubitauerim contendere uno Vopisco excepto Pollionem ceteris historiae Augustae scriptoribus praestare. quamquam se non tam diserte quam fideliter scripsisse ait, non enim eloquentiam pollicitum esse sed rem[22] Ac diligentiam eius curamque in edendis bonis malisque principibus Vopiscus extollit Firm. c. 1, nec uero negare possumus diligentem eum et relligiosum se praestitisse.[23] Scripsit autem Claudii uitam ad

---

20) cap. 1. 3: *ut alii ex filio* (quo loco Dexippus tangitur cf. Gordian. c. 19. 23.) c. 4. 5. 8. 9. 11. 15. 16. De eo, a quo Balbinus ut ipse dicebat originem ducebat c. 7. Balbo Cornelio Theofane historiae scriptore v. quae de Suetonii fontibus c. 13 exposuimus.

21) trig. tyr. in.: *scriptis iam pluribus libris.* Philippi fit mentio Gordian. c. 29 sqq. Decii Valer. c. 2. Claud. 13. 16.

22) trig. tyr. c. 33 cf. ibid. c. 1 in. c. 11 extr. Erat sane homo doctus ac bene nouit Ennium, Ciceronem, Quintilianum v. Salon. Gall. c. 2, trig. tyr. c. 4. 8. 22. Claud. c. 1. 7. Triginta tyrannorum non uitas sed res memorabiles exposuit atque in unum uolumen contulit, ne si de singulis singula quaeque narraret nascerentur indigna fastidia c. 31. coll. c. 1. extr. Salon. Gall. c. 1 extr. Addamus quod est s. f. trig. tyr.: *qui hos libellos de uita principum edidi, non scribo sed dicto, et dicto cum ea festinatione, quam si quid uel ipse promisero uel tu petieris sic perurgues, ut respirandi non habeam facultatem.*

23) Vopisc. Aurelian. c. 2: *adserente Tiberiano, quod Pollio multa incuriose multa breuiter prodidisset, me contra dicente, neminem scriptorem quantum ad historiam pertinet non aliquid esse mentitum, prodente quin etiam in quo Liuius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus conuincerentur, pedibus in sententiam transitum faciens rel.*

Constantium Caesarem,[24]) unde apparet eum fere aequalem fuisse eorum imperatorum quorum uitas consignauit, ita ut de rebus eorum aliqua certe audiendo accipere posset, ut trig. tyr. c. 25 ad aui narrationem prouocat.

Cap. 23. GALLIENI DUO.

Trebellius postquam de Gallieni uita priuata multa attulit s. f. cap. 18 haec addidit: *longum est eius cuncta in litteras mittere, quae qui uolet scire, legat Palfurium Suram, qui ephemeridas eius uitae composuit.* Vixisse igitur patet Palfurium Suram sub Gallieno Caesare et triginta fere ante Trebellium annis scripsisse.[25]) — Praeter hunc c. 13 Dexippus dux horumque temporum scriptor nominatur. Prouocatur porro ad fastos publicos c. 14 sq. et ita quidem ut ipse eos uideatur inspexisse.[26]) Ceterum se multos scriptores ante oculos habuisse diserte ait c. 14 et Salon. Gall. c. 1; intellegendi autem uidentur imprimis ii, qui in Valerianis, trig. tyr. diuoque Claudio nominantur.[27]) Tum aliqua audiendo accepisse putandus est, certe quae de terrae motu, de pestilentia c. 5, de ludis c. 8 similibusque de rebus afferuntur, uel ab auo (trig. tyr. c. 25) uel ab alio seniore narrata esse ueri simile est. Denique statuae sua aetate superstitis Salon. Gall. c. 1 mentionem fecit. Poterat autem Pollio de hoc principe etiam plura narrare sed noluit, ut ipse Sal. Gall. c. 1 ait, *ne eius posteri multis rebus editis laederentur.* De Gallieni uersibus et orationibus c. 11 ita mentio est facta, ut ipse ea uideatur legisse. Quae quoniam nihil ad rem faciunt, id unum moneamus, ex hac uita dilucide perspici Pollionem uitas imperatorum quo ordine illi rem-

[24]) Claud. c. 1: *uentum est ad principem Claudium qui nobis intuitu Constanti Caesaris cum cura in litteris digerendus est;* c. 10: *quae idcirco posui ut sit omnibus clarum, Constantium diuini generis uirum, sanctissimum Caesarem et Augustae ipsum familiae esse et Augustos multos de se daturum, saluis Diocletiano et Maximiano Augustis et eius fratre Galerio.* cf. c. 13. Hunc igitur significat c. 3: *tua conscientia* et c. 5 extr. *habuit proxime tuus libellus munerarius hoc nomen in indice ludorum.*

[25]) Cum non per annos sed per dies singulos res gestae scribuntur, ea historia Graeco uocabulo ἐφημερίς dicitur, quod Sempronius Asellio teste Gellio diarium latine interpretatus est. v. quae diximus in Vit. et fragm. uet. hist. Rom. p. 13.

[26]) c. 14: *siquidem capto iam Valeriano scriptum inuenimus in fastis: Valeriano imperatore cos. quis igitur alius potuit esse Valerianus nisi Gallieni frater?*

[27]) cap. 14: *quem multi — multi dicunt.* Sal. Gall. c. 1: *magna est ambiguitas — multi — multi in historiis prodiderunt — multi dixerunt.* Significantur auctores etiam c. 11. 14. 18. Sal. Gall. c. 2 et 3, unde Pollionis in rebus uere tradendis relligio elucet.

publicam administrauerint composuisse, primum Valerianorum (Sal. Gall. c. 1) deinde Gallienorum, tum trig. tyr. (Sal. Gall. c. 1 et 3) denique Claudii (Gall. c. 14 trig. tyr. c. 33 extr. Claud. c. 1.)

Cap. 24. TRIGINTA TYRANNI.

Quod sequitur uolumen procul dubio ad similitudinem trigintauirum Atheniensium triginta tyrannorum nomine inscriptum est, etsi explendi opinor numeri causa non solum obscurissimus quisque, qui Valeriani et Gallieni temporibus aliqua rerum parte potitus erat unaque cum patribus filii imperii consortes recepti sed etiam Valens superior adiectus est, quem Decii temporibus seditionem mouisse constat. Sed cum libro iam edito noster a uiris doctis, qui quo de rebus litterariis agerent in templo Pacis conuenire solebant, reprehensus esset, quod Zenobiam et Victoriam quasi tyrannas uel tyrannides in illum numerum rettulisset, duas adnexuit uitas Titi aetate Maximini et Censorini temporibus Claudii florentis ut et illorum uituperationi occurreret et eundem numerum seruaret, v. c. 31.

Auctoribus autem in his uitis usus uidetur et iisdem, quos Valerian. c. 8 et Gallien. c. 18 nominauerat, Caelestino scilicet et Palfurio Sura, et Dexippo et Herodiano, quos c. 32 diserte laudauit. Praeter hos qui citantur Latini scriptores obscurorum in loco sunt ponendi, ut qui nec ab ipso alias nec ab alio ullo historico nominentur, Julius Atherianus, Maeonius Astyanax, Cornelius Capitolinus, Gellius (al. Dagellius, al. Arellius) Fuscus, qui omnes uidentur tyrannorum illorum uel aequales fuisse uel paulo post floruisse. Ex iis Julius Atherianus c. 6 testis de Victorino exhibetur ex libroque eius pauca ad uerbum transscribuntur.[28]) Maeonius Astyanax c. 12 colloquio Ballistae et Marciani interfuisse et utriusque dicta prodidisse dicitur, ex quo elucet eum de Marciano eiusque filiis scripsisse. Ad Cornelii Capitolini testimonium c. 15 prouocatur, ut qui asseruerit Zenobiam, Odenati uxorem, mulierem fuisse omnium orientalium et nobilissimam et speciosissimam, unde opinari licet quae c. 30 copiose nec iniucunde de Zenobia narrantur, eorum certe maximam partem ex illius libro sumptam esse. Fuscus denique c. 25 de Tetrico iuniore Victoriae filio laudatur uidenturque quae de matris rebus c. 31 leguntur eundem habuisse auctorem. Praeterea de peregrinis regionibus quaeque in iis inueniuntur

[28]) Eodem in numero uidetur referendus *ancilla illa honorum et historicorum dehonestamentum* Gallus Antipater, quem e uit. Claud. c. 5 apparet de Aureolo scripsisse, etiamsi in huius uita mentio eius non facta est.

miranda Proculus grammaticus auctor nominatur.[29]) is autem non uidetur diuersus fuisse ab eo, quem Capitolinus in uita M. Antonini philosophi c. 2 laudauit, Eutychio Proculo Siccensi grammatico, quem Antoninus ad proconsulatum prouexit. Afferuntur denique aliquot imperatorum *epistulae* etiam tum extantes, ut de Claudii epistula ad Regalianum data c. 10 legimus: *extat epistula diui Claudii tunc priuati qua Regaliano Illyrici duci gratias agit ob redditum Illyricum quam ego repertam in archiuis inserendam putaui.* Similiter c. 3 Valeriani litterae ad Gallos missae adiciuntur, item c. 12 pars epistulae a Valeriano e Persidis finibus ad senatum missae, c. 19 quam acceptus eidem imperatori fuerit Ballista litteris transscripsis probatur, c. 9 Gallieni litterae ad Venerianum scriptae adduntur, c. 30 epistula Aureliani ad senatum data tota inseritur, quo appereat quid ille de Zenobia captiua iudicauerit. Quas utrum noster ipse inspexerit an aliunde transsumperit, id in dubio quidem relinquatur oportet, diligentiam autem eius in fontibus inuestigandis uel inde licet cognoscere, quod Claudii epistulam iu archiuis se repperisse c. 10 diserte testatur et senatusconsultum de Pisone factum ad noscendam eius maiestatem se c. 21 ait libenter inseruisse.

Neque uero hoc loco silentio praetereundum uidetur, ueri simillimum esse nostrum a maioribus natu multa auditionibus accepisse ut c. 25 ab auo de Tetrico. Idem Macrinorum familiam (c. 14) et Zenobiae posteros[30]) etiam suo tempore floruisse testatur nec ita pauca describit quae ipse uidit ut sepulchra domus statuas imagines nummos possessionem Zenobiae in Tiburti datam v. 7. 14. 21. 25. 27. 30. 31. 32. 33.

Apparet autem fides ac relligio scriptoris cum iis ex locis, ubi auctores non tam nominantur quam indicantur eorumque uariae opiniones proponnntur.[31]) tum ex

[29]) cap, 22: *fertur — apud Memfim in aurea columna Aegyptiis esse litteris scriptum, tunc demum Aegyptum liberam fore, cum in eam uenissent Romani fasces et praetexta Romanorum quod apud Proculum grammaticum, doctissimum sui temporis uirum, cum de peregrinis regionibus loquitur, inuenitur.*

[30]) c. 27 cf. Eutrop. IX. 13.

[31]) c. 1: *quoniam ... ab omnibus historicis qui Graece ac Latine scripserunt ita nonnulli praetereantur ut eorum nec nomina frequententur, postremo cum tam uaria a plerisque super his nonnulla sint prodita.* c. 2: *quod alii historici negant factum ... neque plus de hoc historiae quicquam mandatum est quod dignum memoratu esse uideatur:* c. 3: *quantum plerique adserunt ... ut autem uerius plerique tradiderunt;* c. 6: *de hoc .. a multis multa sunt dicta:* c. 18: *scriptores inter se ambigunt. multi — alii — multi — de quo ipse uera non satis comperi, idcirco quod scriptores temporum de huius praefectura multa, de imperio pauca dixerunt,* adde c. 4. 5. 7. 8. 9. 10. 13. 15. 17. 20. 22. 23. 24. 27. 30. 31. 32 denique c. 33: *da nunc cuiuis libellum non tam diserte quam fideliter scriptum. neque ego eloquentiam uideor pollicitus esse sed rem.*

cap. 11, ubi epigrammatis Graeci translatio Latina apponitur ad fidelitatem historicam seruandam.

Postremo loco Zenobia uidetur commemoranda, quandoquidem Aegypti et Orientis historiam in epitomen redegisse credita est, Graece uidelicet, quantum conicitur ex c. 30: ipsa Latini sermonis non usquequaque ignara sed ut loqueretur pudore cohibita: loquebatur et Aegyptiace ad perfectum modum, historiae Alexandrinae atque orientalis ita perita ut eam epitomasse dicatur: *Latinam autem* Graece legerat, quam epitomen ad memoriam ipsius adiuuandam non in usum publicum fuisse scriptam suo iure opinatus est Voss. d. hist. Gr. p. 485.

Cap. 25. CLAUDIUS.

Claudii uitam noster bis uidetur edidisse et ita quidem ut quae superest altera sit recensio, in qua pleraque quidem recocta sunt quae in priore erant. Cum enim reprehensus esset a uiris doctis, iis opinor qui in templo Pacis conuenire solebant, (v. trig. tyr. 31) quod Claudii uirtutes in gratiam Constantii Caesaris, quippe qui a Crispo fratre illius (c. 13) genus duceret, nimis extulisset, altera libelli editione id potissimum uidetur egisse, ut eiusmodi obtrectatoribus occurreret, id quod ex his locis elucet: c. 3: *in gratiam me quispiam putet Constantii Caesaris loqui, sed testis est et tua conscientia et uita mea, me nihil umquam cogitasse dixisse fecisse gratiosum;* c. 6: *dicat nunc qui nos adulationis accusat Claudium minus esse amabilem;* c. 8: *Claudio igitur scriptores adulamur;* c. 11: *uera dici fides cogit, simul ut sciant ii qui adulatores nos aestimari cupiunt id quod historia dici postulat non tacere.* Fuerit sane Claudius princeps optimus non tamen quin nimiis laudibus elatus sit uitam nostri legentibus dubium esse potest.[32])

In hoc libello etsi quisquis eum conscripsit, ita ut simul Quintilli fratris res gestas c. 12 breuiter comprehenderet, complures adhibuit auctores,[33]) unius Dexippi testimonium de morte Claudii et Quintilli diserte affertur.[34])

[32]) cf. c. 18 extr., ubi Claudius et ante imperium et in imperio et post imperium sic dicitur fuisse dilectus, ut satis constet neque Traianum neque Antoninos neque quemquam alium principem sic amatum.

[33]) cap. 5: quidam historici; c. 11: quamuis alii — dicerent; c. 13: de auis (Claudii) nobis parum cognitum, uaria enim plerique prodiderunt.

[34]) cap. 12. Claudium morbo obiisse legimus (cf. Eutrop. IX. 11) eiusdemque cap. 5. f. *et Dexippus quidem Quintillum non dicit occisum sed tantum mortuum. nec tamen addidit morbo, ut dubium sentire uideatur.*

Nominatur quidem etiam Gallus Antipater c. 5 nec de Claudio sed de Aureolo inter triginta tyr. c. 11 relato, uideturque is non solum huius sed etiam aliorum imperatorum res parum honestas et pudendas litteris mandasse, ut qui dehonestamentum historicorum audiat, similiter opinor atque Tanusii annales a Seneca non decori sunt appellati. v. d. font. Suet. p. 15.

Ad Claudii laudes ostentandas c. 4 et 18 senctusconsulta libello sunt inserta, item epistulae c. 14 et 15 Valeriani, c. 16 Decii, c. 17 Gallieni, c. 7 et 8 ipsius Claudii de rebus a se gestis. Adduntur c. 10 oracula quaedam de Claudio et Quintillo fratre latine, et c. 3 mentio fit clypei aurei in imperatoris honorem Romae in curia collocati etiamque nostri temporibus superstitis.[35] Denique addamus etsi ad Claudii res cognoscendas nihil facit, quod c. 2 legitur: *doctissimi mathematicorum centum et uiginti annos homini ad uiuendum datos indicant neque amplius cuiquam iactitant esse concessum, etiam illud addentes, Mosen solum Dei, ut Iudaeorum libri locuntur, familiarem CXXV annos uixisse,* quo ex loco putauerim nostrum Iudaeorum libros non inspexisse, in quibus Mosen CXX° aetatis anno obiisse legatur.

[35] Ecce λεπτολογία nostri! c. 3: *illi clypeus aureus uel, ut grammatici locuntur, clypeum aureum — conlocatum est.*

Schülerzahl am 1. Januar

	1873	1874
Prima	15	18
Secunda A	22	20
Secunda B	36	42
Tertia A	45	38
Tertia B	36	35
Quarta A	36	36
Quarta B	49	53
Quinta A	27	22
Quinta B	23	27
Sexta	61	71
	350	362
Vorschule	62	43
	412	405.